



Daub. Suidae Biographicorum



Hochachtungsvoll überreicht der Verf.

DE

SUIDAE BIOGRAPHICORUM ORIGINE ET FIDE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AUCTORITATE AMPLISSUMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE

RUPERTO-CAROLA HEIDELBERGENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

ADAMUS DAUB

BADENSIS.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXX.

OTTONI RIBBECKIO

CURTIO WACHSMUTHIO

PRAECEPTORIBUS OPTUMIS ET CARISSUMIS

PII GRATIQUE ANIMI

TESTIFICANDI CAUSA

D. D.

ADAMUS DAUB.

Litterarum Graecarum veram historiam non prius posse perscribi quam de fontium et testimoniorum, a quibus omnis fere et proficiscatur opera nostra notitiaque et ad quae usquequaque revertatur oportet, forma condicione fontibus fide diligentissime sit quaesitum, non iam potest subterfugere peritos iudices, quamvis harum rerum parum habuerint rationem, qui artem ipsam susceperunt enarrandam. Enimvero quae veteres auctores de re litteraria Graecorum prodidere plerumque non ipsa aetatem tulerunt, sed per multos fluvios rivolosque propagata continuata dilatata, mox etiam deformata et obscurata recentioris et infimae aetatis scriptorum seu conpilatorum industria nobis servata sunt. Pernecessarium igitur est ut omnia testimonia quam adcuratissime examinentur, eaque quae e priscis limpidisque fontibus manarunt per singulos gradus ad suum auctorem referantur. Quo quidem in genere quam multa adhuc vel incerta vacillent vel delitescant obscura, nemo nescit qui has litteras paululum adtigerit. In Suidae vero biographicis, quae largissimam ac saepe fere unicam litterarum Graecarum notitiam suppeditant, nuper extiterunt qui laudabile ac bonae frugis plenissimum conlocarent studium; tamen sicut res ferebat minime omnia cum pulvisculo ut aiunt exhauserunt multaque aliis emendanda supplenda enucleanda reliquerunt. Quae cum ita sint operae pretium futurum iudicavi, si in Suidae vitas scriptorum Graecorum denuo inquirere conarer. Sed noli opinari totam me quaestionem absolvere voluisse: quod ne possem quidem pro innumeris quibus hoc opus inpeditum est difficultatibus. Ego equidem satis habeo hominum doctorum opinionibus subtiliter et circumspecte examinatis huius disquisitionis eam potissimum partem quae in librorum tabularum Suidianarum origine fideque indaganda versatur pertractasse, ac cetera quae de singularum notationum indole fontibus auctoritate recte animadvertisse mihi videar, apte disposita protulisse. Qua in re dici nequit quantum adiutus sim C. Wachsmuthii praeceptoris optumi insigni opera consilio exemplo: quod aequare licet viribus meis denegatum fuerit, suavissimum tamen fuit pro virili parte imitari.

Verum antequam ad propositum ipsum adgrediamur pauca praefari placet. Suidas quibus ex fontibus in βίοις scriptorum Graecorum hauserit, post Bernhardyum (Conmentat. de Suid. lexic. C. II. § 9, p. LIII sq.) primum dedita opera rimari conatus est Did. Volkmann (dissert. 'de Suidae biographicis quaestt. selectae', Bonn. 1861); dein hanc quaestionem tractarunt Otto Schneider (disputatione

'de Callimachi operum tab. quae extat ap. Suidam' = Callimach. II (a. 1873), p. 23 sq.); tum eodem fere tempore et C. Wachsmuth ('de fontibus ex quibus Suid. in vit. Graec. script. haus.', Symb. Phil. Bonn. I, 137 sq.) et iterum D. Volkmann ('de Suid. biograph. quaestt. alterae', ibidem II, 717 sq.); denique etiam Fr. Nietzsche (cap. V de Laertii Diog. fontibus disputationis: 'de Laertio et Hesychio' = Mus. Rhen. n. XXIV, 210 sq.), cuius sententiam novis argumentis firmare idem Volkmannus ('de Suid. biogr. quaestt. novae',[1]) Progr. schol. Portens. a. 1873) studuit. Possumus autem duplicem in modum instituere hanc quaestionem, aut ita ut a primis fontibus aliunde investigatis proficiscamur, deinde singulos fluvios rivolosque permetiamur usque dum in mare Suidianum pervenerimus, aut ita ut a Suida ipso exorsi ad singulos fontes viam persequamur, quoad his cursibus iteratis ad summos montes ascenderimus. Ac priorem quidem viam ita ingressus est Volkmannus, ut inter diversissimas Suidae notationes seorsum quasdam consideraret artiore cognatione inter se conexas earumque originem argumentis aliunde petitis erueret atque sic primos fontes indagaret, nihil curans quibus itineribus in „Oceanum" Suidianum inmigrassent: ceteri vero, in primis Wachsmuthius, alteram amplexi sunt rationem longe sane difficillimam. Quarum duarum rationum per se satis probabilium eam esse cum maxime commendabilem, quae alteram teneat semitam salebrosam priore tanquam certissimo duce nunquam derelicta, verissime monuit Wachsmuthius (l. l. p. 137): quam nos quoque in hac disputatione sequemur.

Caput I.

De Hesychio Milesio eiusque Onomatologi epitoma unico fere Suidae fonte.

Hesychium Milesium in litteris Graecis praecipuum Suidae ducem fuisse ex huius ipsius verbis quae extant s. Ἡσύχιος (ἔγραψεν ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, οὗ ἐπιτομή ἐστι τοῦτο τὸ βιβλίον) post M. Schmidtium (Didym. Fragm. p. 17,[1]), G. Bernhardyum (l. l. p. LV), V. Roseum (de Aristot. libr. ord. et auct. p. 49) conclusit certaque[2]) argumentatione demonstravit

[1]) Has tres Volkmanni commentationes numeris I II III breviter designabimus. — [2]) Tamen Schneiderum in una re fallaci opinione deceptum esse Wachsmuthius (l. l. p. 138) exposuit, qui in ceteris illi adsentitur. Nam post Lehrsii luculentam disputationem (v. supr. p. 405) iam dubium esse nequit (cfr. etiam Wachsmuthium Nietzschiumque l. l.), quin libellus iste qui sub Hesychii Milesii nomine hodie circumfertur („περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν") recentissima demum aetate ex frustulis Suidianis et Laertianis misere conflatus sit: quamquam id ne nunc quidem Schneiderus (l. l. 24, n. 1) concedit. [Ceterum hac de re nunc prorsus aliter iudicat H. Flachius (vide eius disputatiunculam in Teubneri Nunt. a. 1879, no. 5, 85 sq. Hesychii Milesii libelli editioni praemissam), cuius rationes

O. Schneider (Callim. II, 23 sq.). Neque vero conprobo sententiam quam de verbis 'οὗ ἐπιτομή ἐστι τοῦτο τὸ βιβλίον' proposuit: quae cum hominibus doctis satis negotii facessiverint, iam paulo enucleatius erunt examinanda. Nec enim cum Schneidero interpolatori cuidam tribuo, sed unice Suidae ipsi, ita tamen ut non cum Wachsmuthio (l. l. p. 138), Lehrsio (Mus. Rhen. n. XVII, 453, n. 2 = 'die Pindarscholien' p. 159, n. 2), Schmidtio (l. l.), Bernhardyo (l. l.), Roseo (l. l.) illud τοῦτο τὸ βιβλίον ad Suidae lexicon referam, sed cum Naekio (Choer. p. 35), C. Muellero (F. H. G. IV, 144), Volkmanno (II, 729 not.), Nietzschio (Mus. Rh. n. XXII, 193 not. 17), Bergkio (Hist. litt. Graec. I, 293, n. 50), L. Mendelssohnio (Act. soc. phil. Lips. II, 181, n. 1), H. Flachio (Eudoc. et Suid. p. 37, 96, n. 2) his verbis epitomen aliquam operis Hesychiani nunc oblitteratam significari censeam. At Volkmanno quem Nietzschius sequitur id unum non concedo, quod huic ipsi epitomae Hesychii vitam quae apud Suidam legitur olim praefixam fuisse statuit, sed multo simplicius existumo Suidam verba illa ex epitoma ipsa in qua Hesychii quoque vita enarrabatur parum cogitate descripsisse.[3]) Namque eorum opinio qui verba τοῦτο τὸ βιβλίον ad Suidae librum ipsum revocant propterea displicet, quod tum prorsus singulariter et inconcinne dicta essent, utpote quae non toti lexico Suidiano quod in glossis seu λέξεσιν inlustrandis magnam partem versatur ac plane diversis nititur fundamentis, sed articulis ad litterarum tantum historiam pertinentibus conveniant: nec secus inepte, etiamsi interpolatori nescio cui inputaremus, immo multo ineptius quam a Suida ipso essent adposita. Sed nullam omnino idoneam causam video, qua verba illa Suidae abiudicare cogamur: quippe in tali condicione quali nunc leguntur ab omni dubitatione exemta sunt.

Duo igitur opera litteraria olim extitisse videmus, ambo nunc deperdita, et plenius Hesychii, i. e. ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, et brevius, huius scilicet libri epitomen ab alio factam. Quae cum ita sint, id vel maxime quaeritur, qualis tandem ratio inter utramque scriptionem intercesserit. Ac de indole quidem et ordine Onomatologi, quo omnium Graecorum qui inde ab antiquis temporibus usque ad Iustiniani aetatem[4]) litteris floruerunt ecclesiae pa-

---

quoniam non integras habeo perspectas, sub examen vocare in praesens non placuit.] Sed ut cetera argumenta omittam, vel illud gravem movet suspicionem, quod huius libelli ratio et consilium toto caelo distat ab eo quod in genuino 'Onomatologo' obtinuisse perspectum habemus (cf. Schneider. l. l. 26 sq.). Enimvero in illo nihil nisi exiles quaedam de vita singulorum fabellae et philosophorum quaedam placita constipata sunt. — [3]) Similiter hac de re nunc video iudicare Bergkium (l. l.) neque aliter Flachium (l. c. 96,[2]). — Ceterum ne id quidem a Suidae ingenio alienum fore opinor, si quis Suidam ipsum verba illa adiecisse iisque hanc ipsam epitomen quam perpetuo in lexico suo contexendo manibus trivit oscitanter significasse contenderit. — [4]) Ceterum cf. nunc Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 563, n. 1.

tribus seclusis (cfr. Suid. s. Ἡσύχιος) vitas enarravit Hesychius, post Schneiderum (l. l. 26 sq.) Wachsmuthius subtilius ita disputavit (l. l. p. 139), ut homines litteris insignes non una serie conprehensos, sed in diversa litterarum genera divisos κατὰ χρόνους dispositos fuisse ex indiciis quibusdam enuclearet. Revocat autem illud quod verba καὶ αὐτός in Suidae vitis aliquotiens reperiuntur plane supervacanea ad indicem aliquem eumque Hesychii Onomatologum. Velut quod illa s. Πολέμων ὁ νεώτερος et s. Ὑπερίδης ita usurpantur, ab eo ordine quo apud Hesychium glossae secutae sint iure repetiit (sed cf. Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 620); nec secus relicua exempla huic causae conveniunt, si ab indice s. Σωτάδης huc vix revocando discesseris. Praeterea autem alia in promptu sunt sane quam gravissima, quibus Wachsmuthii opinio potest stabiliri.[5]) Veluti quae leguntur s. Πιττακός· .. εἷς καὶ αὐτὸς τῶν ζ' σοφῶν ὤν, et s. Σόλων .. ἔστι δὲ καὶ οὗτος εἷς τῶν ζ' ὀνομαζομένων σοφῶν (ubi id quoque velim adtendas, prope ad finem posita esse haec verba, unde Hesychii 'epitomatorem' ea ipsum adiecisse illius ordinis ratione habita demonstratur), si conparaveris cum glossis s. Κλεόβουλος (.. εἷς τῶν ζ' ὀνομαζομένων σοφῶν, ῥώμῃ καὶ κάλλει διαφέρων τῶν κατ' αὐτόν) et s. Περίανδρος (.. τῶν ζ' σοφῶν, cf. etiam gl. s. Λᾶσος, Μίμνερμος, Τυρταῖος), in Onomatologo ipso septem sapientes seorsum ex temporis ordine digestos fuisse facile perspicies. Quod item cadere videtur in septem illos tragicos, οἵτινες ὠνομάσθησαν Πλειάς; modo considera glossas s. Ἀλέξανδρος, Αἰτωλός, Διονυσιάδης, Λυκόφρων, Ὅμηρος, Σοφοκλῆς, Σωσίθεος, Σωσιφάνης, Φιλίσκος; nec dissimilem ad causam redire videntur quae in vitis poetarum comicorum Aristophanis et Menandri aequalium leguntur (cf. s. Θεόπομπος, Νικοχάρης, Νικοφῶν, Πλάτων; s. Φιλήμων .. βραχὺ Μενάνδρου πρότερος, s. Ἀπολλόδωρος Γελῷος .. σύγχρονος τοῦ κωμικοῦ Μενάνδρου, s. Ποσείδιππος .. τρίτῳ ἔτει μετὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν Μένανδρον ..), pariterque alia multa. Sed praeterea ad ordinem chronologicum in Hesychii libro servatum rettulerim quae reperiuntur s. Σιμωνίδης Κρίνεω .. γέγονε δὲ καὶ αὐτὸς μετὰ ἐνενήκοντα καὶ τριάκοντα ἔτη τῶν Τρωικῶν, sc. ut Ἀρχίλοχος, cuius vitam ab Hesychio sine dubio enarratam Suidas describere omisit (cf. Volkmannum III, p. IV, atque post eum Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 193 sq. et de verbis istis et de re ipsa multo subtilius ac probabilius disputantem); s. Μουσαῖος Ἐφέσιος, si quidem vera est Wachsmuthii coniectura verba sic refingentis: Μ. Ἐ. καὶ αὐτὸς ἐποποιὸς (sc. ut Μ. Ἐλευσίνιος poeta vetustior) τῶν εἰς τοὺς Περγαμηνοὺς κύκλους; s. Πείσανδρος Νέστορος τοῦ ποιητοῦ υἱός .. ἐποποιὸς καὶ αὐτός, sc. ut Νέστωρ Λαρανδεὺς .. ἐποποιὸς (cf. Suid. s. h. v.), s. Νικόλαος .. ἀδελφὸς Διοσκορίδου γραμματικοῦ .. σοφιστεύσας

---

[5]) In quibus non desunt quae ipse mihi comiter suppeditavit Wachsmuthius.

καὶ αὐτὸς ἐν Κωνσταντινουπόλει (ceterum glossam quae praecedit, s. Νικόλαος ῥήτωρ, cum hac ipsa conectendam esse vidit Boissonadus [in Marin. Vit. Procl. p. 87]), sc. ut frater qui antea apud Suidam nominatur Διοσκόριος, Μυραῖος, .. ὁ διδάξας τὰς θυγατέρας Λέοντος.. ἐν Βυζαντίῳ (cf. Bernh. ad h. gl.); s. Ὀρφεὺς Κικοναῖος.. γέγονε δὲ καὶ οὗτος πρὸ Ὁμήρου, δύο γενεαῖς πρεσβύτερος τῶν Τρωικῶν, sc. ut Ὀρφεὺς Thrax, quem γεγονέναι πρὸ ια′ γενεῶν τῶν Τρωικῶν Suidas s. h. v. ait (cf. Lobeck. Aglaoph. 356), quocum conparare licet quod dicitur Εὔμολπος .. ἐποποιὸς τῶν πρὸ Ὁμήρου (cf. etiam gl. Κόριννος). Porro glossa s. Ἐμπεδοκλῆς, θυγατριδοῦς τοῦ προτέρου (sc. Empedoclis philosophi), τραγικός .. nunc ap. Suidam ante v. Ἐμπεδοκλῆς .. φιλόσοφος conlocata in Onomatologo harum glossarum inversum olim ordinem regnasse luculenter evincit, quem quidem chronologicum 'epitomator' eumque secutus Suidas ita inmutaverint, ut primo loco Empedoclis (tanquam poetae), secundo E. philosophi (tanquam pedestris scriptoris) notationem ponerent.[6])

Itemque totius sententiae veritatem firmius conroborare videntur verba quae leguntur in gl. Εὐσέβιος Ἀράβιος, propterea satis notabilia quod Eusebii istius aetas ad Hesychianam propius quam ceterorum quos adhuc enumeravimus scriptorum accedit: σοφιστής, ἀντισοφιστεύσας καὶ αὐτὸς Οὐλπιανῷ, nullius Eusebii vel alius cuiusdam qui fuerit Ulpiani aemulus mentione antea facta, unde suspicari licet apud Hesychium praecessisse memoriam nescio cuius sophistae, qui conparem in modum atque Eusebius illius aemulus extiterit: quales quidem cogitari possunt Constantini aequales hice: Γυμνάσιος, Θέων Σιδώνιος, Ἰάμβλιχος φιλόσοφος, Ὀνάσιμος, Παλλάδιος, Παῦλος Αἰγύπτιος.

Denique unum suppetit exemplum, quo nescio an idem ordo stabiliatur, s. Πρόκλος ὁ Λύκιος, μαθητὴς Συριανοῦ, ἀκουστὴς δὲ Πλουτάρχου τοῦ Νεστορίου, καὶ αὐτὸς φιλόσοφος Πλατωνικός, pariter ac Συριανός .. φιλόσοφος, ἡγησάμενος τῆς ἐν Ἀθήναις σχολῆς τε καὶ διατριβῆς (i. e. scholae quae nuncupatur neoplatonicae),

---

[6]) Nam in Suidae lexico (nec aliter fuit in Hesychii epitoma) singulos ὁμωνύμους scriptores in universum ita videmus dispositos, ut primum poetae, dein prosae orationis auctores recenseantur, id quod cadit in gl. s. Ἀπολλόδωρος, Ἀπολλώνιος, Ἀριστοφάνης, Ἀρριανός, Διογένης, Ἕρμιππος, Θεοδέκτης, Θεόπομπος, Ἵππαρχος, Μένανδρος, Μενεκράτης, Μυρώ, Ὅμηρος, Παλαίφατος, Πτολεμαῖος, Στράττις, Στράτων, Σωτάδης, Τιμόθεος, Φιλίσκος, Φιλόξενος, Φρύνιχος. At pauca exempla quae huic legi repugnant plerumque sic possunt expediri, ut Suidas ipse ex aliis fontibus glossam ὁμώνυμον ceteris inseruerit sive adposuerit, cf. gl. s. Ἀρίσταρχος, Διόδωρος, Νικόστρατος, Σώπατρος, Φίλιππος, quarum omnes prima excepta Suidas ex Athenaeo conpilavit. — Ceterum parum iuvat quod Bernhardyus lectorem ad Laertii l. VIII, 58 relegavit, ubi hoc unum legimus: Ἡρακλείδης δὲ .. ἑτέρου φησὶν εἶναι τὰς τραγῳδίας (sc. quae Empedocli philosopho volgo adscribebantur) nulla alterius Empedoclis mentione antea iniecta.

διδάcκαλος γενόμενος Πρόκλου, ὃς καὶ διάδοχος αὐτοῦ ἐγένετο.. Iam vero eidem fere libri, qui sub Syriani nomine hic recensentur, illic Proclo tribuuntur, qua quidem in causa a Syriani discipulo „eosdem titulos retentos et in paribus argumentis esse consumptos" Bernhardyus recte negavit, eidemque plane adstipulor, quod omnia scripta inde a verbis, 'ἔγραψεν εἰς Ὅμηρον ὅλον ὑπόμνημα' usque ad 'βιβλία δέκα' a Syriano abiudicavit (cf. etiam Lobeck. Aglaoph. p. 344). Qui tamen nollem addidisset per „fraudem" opera illa Syriano supposita indeque, quod homo male sedulus similitudine tam studiorum quam librorum utriusque philosophi conmotus ante librum 'περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ θεῶν' verba εἰς τὰ Πρόκλου adpinxisset, factum esse, ut e gl. Πρόκλος traducerentur verba περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ — βιβλία δέκα (ceterum idem censet Flachius, l. l. p. 42 sq.). Nam si quid video res ita se habet, ut 'epitomator', qui in 'Onomatologo' Syriani et Procli glossas iuxta conlocatas reppererit, eadem fere opera utrique temere adscripserit.

Cum plenum opus Hesychianum ex temporis ratione adornatum fuisse nunc pro certo adfirmari possit, 'epitomatorem' qui in breviorem formam illud redegit singulos articulos rursus ad litterarum ordinem in Suidae lexico qualem nunc animadvertimus digessisse ex duabus potissimum rebus licet conligere. Ac primum quidem me docuit Wachsmuthius verba καὶ αὐτός aliquotiens ita esse adhibita, ut non solum ad ὁμωνύμους auctores qui antecedunt relegent (cf. Volkm. III, p. VI sq.), sed etiam ad tales qualium nomina ex ordine alphabetico proxima sint. Velut legitur s. Σωσιφάνης.. τραγικός.. ἔστι δὲ καὶ αὐτὸς ἐκ τῶν ζ' τραγικῶν.., pariter atque Σωσίθεος, cuius nomen in 'epitoma' praeiit; item s. Τιμοκρέων.. κωμικὸς καὶ αὐτὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, sc. ut Τιμοκλῆς; s. Φιλήμων Συρακόσιος, καὶ αὐτὸς κωμικὸς τῆς νέας κωμῳδίας, sc. ut Φιλέταιρος; s. Φιλιππίδης Ἀθηναῖος, κωμικὸς καὶ αὐτὸς τῆς νέας κωμῳδίας (cf. Volkm. III, p. VII,[7]), sc. ut Φιλήμονες duo.[7]) Dein ad eundem ordinem rettulerim quod legitur s. Ἐπίνικος, καὶ αὐτὸς κωμικός, ubi verba καὶ αὐτός ad glossam s. Ἐπίλυκος, κωμικὸς ποιητής, paulo ante positam, quanquam vita Epimenidis interiacet, respicere videntur. Porro ni fallit opinio verba in calce glossae s. Σέλευκος Ἐμισηνός exhibita 'καὶ ἄλλον δέ τινα Σέλευκον εὗρον ἐμπαράθετον (ἐν παρα^{θτ} A, ἐμπαρα^{θ} *V)', quae mirum quantas difficultates hominibus doctis praebuerint, huc item possunt adsciri. Neque enim probabiliter Bernhardyus vocis ἐμπαράθετος interpretationem ex verbis gl. Νικόστρατος.. ταῦτα ἐν παραθήκῃ εὗρον κείμενα nondum satis explicatis petiit traditamque scripturam εὗρον ἐν παραθήκῃ conrexit, i. e. 'in alio scrinio quam quo litterae grammaticorum continebantur, sive in corollario quodam vel auctario

[7]) Dubitanter addo gl. Διόδωρος, καὶ αὐτὸς κωμικός, pariter atque cuius nomen subsequitur Διοκλῆς κωμικός.

narrationis de variis Seleucis'.., nisi forte 'ἐμπαράθετον' 'inter alios citatum' quispiam explicaverit.[8]) Sed vox illa ἐμπαράθετον tolerari sane potest: quam usitatam fuisse Suidae ipsius glossa ἐμπαράθετος docet. Ergo Suidas ait se alium quendam Seleucum in Seleucorum numero proxime ceteros conlocatum repperisse. Noli tamen cum Volkmanno (IV, p. XI, n. 19) de Demetrii Magnetis indice scriptorum cogitare, sed unice de Hesychii epitoma, in qua Seleuci litteris insignes una serie conprehensi erant.

Aliis deinde argumentis alphabeticus ordo 'epitomae' probatur. Enimvero glossa s. Κάστωρ Ῥόδιος ῥήτωρ apud Suidam duobus locis invenitur, primum post v. Καρνεάδης.. φιλόσοφος et ante v. Καρνείωνος, dein post v. Καστωλός et ante v. Καστρεύσαντες. Iam vero cum inter glossam Καρνεάδης ἕτερος et v. Καστωλός nulla alia intercedat, hac ipsa causa me quidem iudice luculenter evincitur Suidam in fonte quo utebatur articulum illum post gl. Καρνεάδης φιλόσοφος repperisse litterarumque ordine neglecto huic ipsi adnexuisse, infra tamen volgaris ordinis habita ratione suo loco iterasse. Hinc duae res necessario consectariae sunt, et Epitomen κατὰ στοιχεῖον adornatam (cf. etiam Nietzschium Mus. Rh. n. XXII, 196, et Bergkium, l. l. p. 292, n. 47, qui tamen Epitomen a pleniore Onomatologo non distinxerunt), nec secundum litterarum genera dispositam fuisse, cum philosophum rhetor subsequatur. Idem abunde docent testimonia qualia leguntur s. Μέλητος.. ῥήτωρ, ubi verba καὶ ἦν ἐπὶ τῶν Ζήνωνος κ. τ. λ. ad nomen Μέλισσος haud dubie referenda apud Suidam Eudociamque (p. 301) cum hac glossa male coaluerunt (cf. Laert. IX, 24, vid. Menag. ad h. l., et Clint. F. H. II, p. 59, L); s. Ἶπυς verba extrema οὗτος πρῶτος ἔγραψε.. καὶ ἄλλα ad gl. Ἱππῶναξ pertinent (vid. Bernh. ad v. Ἶπυς); s. Σιμμίας quae verba (ἦν δὲ ἐξ ἀρχῆς Σάμιος — τῶν Σαμίων) alieno loco leguntur, ad Σιμωνίδην Ἀμοργῖνον referenda sunt (cf. Ions. de Scr. Hist. Phil. 26, Clint. F. H. I, 179, III, 487, Welcker. Mus. Rh. a. 1835, p. 354); nec Bernhardyo adsentior ex hac quoque glossa intellegi dicenti, quantum dedecoris Suidas per librariorum an lectorum neglegentiam indoctamque temeritatem inmeritus subierit. Adde quod post gl. Ἔφιππος nomen Ἔφιππος turpi errore iteratum est, cuius in locum Ἔφορος erat substituendum (cf. Clint. F. H. Append. c. 21, p. 374, et Bernhard. ad h. l.): unde liquido adparet ambas glossas in Epitoma iuxta positas Suidae culpa esse confusas. Denique Bergkius

[8]) Aliter sed vix probabiliter his de duabus glossis Rohdius (Mus. Rh. n. XXXIII 182,[1]) iudicavit, qui s. Σέλευκος proposuit scripturam: εὕρομεν παρ' Ἀθηναίῳ (XV, 697, d?) et s. Νικόστρατος.. ταῦτα μὲν(?) παρ' Ἀθηναίῳ εὗρον κείμενα, ubi quidem tradita verba nimis audacter mutavit: ceterum quantopere suae ipsius coniecturae diffidat scriptura μέν probat. — Praeterea Bernhardyus huc relegare non debebat verba s. Δαμόφιλος· ἐξ ὧν ταῦτά μοι εὕρηται ἐν ταῖς τῶν βιβλίων θήκαις ab Hesychio profecta planeque diversa significatione adhibita.

(l. s. c.) inde quod verba extrema διέτεινε δὲ — πάνυ πολλά ad Aristophanem Byzantium pertinentia cum gl. Ἀριστώνυμος male conglutinata sint (cf. Meinek. F. C. G. I 198), conligere non debuit Onomatologum (vel ut nunc rectius loquamur 'Epitomen') dispositum fuisse ex litterarum ordine: nec enim Suidas Eudociave priorum errores secure repetierunt, neque 'Epitomator' tali errore inplicatus est, sed Suidas ipse memoriam Ἀριστωνύμου ex Athenaeo in mediam glossam Ἀριστοφάνης temere inculcavit.[9])

Caput II.

De Dionysio Halicarnassensi primario Hesychii in vitis poetarum et musicorum auctore.

Quoniam satis exploratum est Suidam omnes fere notitias una cum librorum tabulis ex Onomatologi Hesychiani 'Epitoma' desumpsisse, gravissima oritur quaestio, quos fontes Hesychius ipse in vitis pertexendis adhibuerit. Ac prae ceteris quidem hic nominandi sunt Dionysii Halicarnassensis minoris libri XXXVI μουσικῆς ἱστορίας (cf. Suid. s. h. v.), quod opus amplissimum in vitis poetarum et musicorum primarium fuisse Hesychii fontem post Meinekium (F. C. G. I, 16 sq., 608 sq., V, I) Schneiderus evidenter demonstravit[10]) (l. l. p. 29 sq.), Wachsmuthius novis argumentis con-

---

[9]) In fine huius disputatiunculae conmemorare lubet Usenerum (Mus. Rh. n. XXVIII, 404) Theonis et Pappi συγχρονισμόν qualem exhibet Suidas reiecisse (cl. Leid. Mscr. n. 78. Fast. Theon.) Pappumque tertio saeculo exeunti adsignasse. Opinatur nimirum Hesychii 'epitomatorem' ea ratione qua Pappum et Theonem apud Hesychium consociatos invenerit inductum esse, ut aequalem utrumque fuisse diceret Theonisque aetatem ad Pappum revocaret. Sed talis Hesychii erroris explicatio parum adridet. Theonis utique aetatem sub Theodosio M. certo constitisse tenendum est. Iam vero non solum iuncti hic illic conmemorantur Pappus et Theon interpretes Ptolomaei syntaxeos, sed in codicibus etiamnum operam ita videmus conciliatam, ut τὰ Θέωνος εἰς τὸ λεῖπον τοῦ Πάππου exhibeantur (cf. Fabric. bibl. VIII, p. 208); Pappi autem aetas incerta fuit: ergo hunc ipsum cum Theone ab Hesychio ad idem tempus relatum fuisse credo. — [10]) Qui tamen in disputatione de memorabili testimonio s. Ἡρωδιανός (p. 31 sq.) id mihi non persuasit, Dionysium in opere suo addidisse memoriam eorum grammaticorum qui poetarum scripta conmentariis inlustraverint. Nempe laudat Schn. glossas s. Παμφίλη et s. Σωτηρίδας, ubi Dionysii musica historia in testimonium vocetur: nam cum neque Pamphilam nec Soteridam carmina panxisse constet, permirum esse quod libros Pamphilae volgo adscriptos Soteridae patris esse Dionysius in musica historia narrasse dicatur; unde facile posse conici, praesertim cum Soteridas (cf. Suid. s. h. v.) de Homero Euripide Menandro disseruerit, Dionysium eorum quoque grammaticorum qui in poetarum opera conmentarios conscripserint vitam pertractasse. Qua in re vir sagacissimus falsa opinatione deceptus est; nam inde quod D. in vita Pamphilae testis excitatur minime sequitur, ut idem Soteridae vitam peculiari notatione descripserit. Deinde vero quod Schn. s. v. Σωτηρίδας

firmavit (l. l. p. 146 sq.). Idem musicae historiae indolem atque argumentum egregie adumbravit, cum Schneiderus amplissimum opus a Rufo quodam in brevem summam contractum esse acute evicisset. Rufianae autem epitomae imaginem quandam nobis informare possumus opera Sopatri, cuius magnam eclogarum partem ex Rufiano libro excerptam esse docet Photius (Bibl. Cod. 161, 16 sq.). Cuius ex verbis simul intellegitur in opere suo Dionysium de poetis lyricis tragicis comicis disputasse nec non epicos[11]) tractasse (cf. Schneider. l. l. et Wachsmuth. p. 146, n. 26). Praeterea luculenter exposuit Wachsmuthius in poetarum musicorumque notationibus Suidianis rationem plane earundem rerum habitam esse quas praecipue respexisse in pertexenda musica historia Dionysium ex Photii testimonio adpareat (ceterum cf. quae de Dionysii in harum rerum enarratione fontibus speciosa coniectura iudicavit E. Rohdius, in commentat. de Iul. Polluc. in appar. scaen. enarrand. fontt. Lips. 1870, p. 79 sq., praeterea inspicias Fr. Schoellium, de loc. nonn. ad Aeschyl. vit. etc. pertinent., Ien. 1875, p. 48).

Ad hanc igitur Dionysii scriptionem optima quaeque notationum Hesychianarum, prae ceteris librorum tabulas, recedere sine scrupulo contendere possumus: cui quidem opinioni inde potissimum adfertur auxilium, quod operum indices ex litterarum ordine digesti, quem in poetarum maxime scriptis recensendis animadvertimus, 'peculiarem sibi et proprium' auctorem vindicant, in poetarum autem vitis permulta Dionysii copiarum vestigia inesse perspectum est.

Dehinc gravior oritur quaestio, quis tandem poetarum librorum tabulas Dionysio suppeditaverit. Atque indices quidem κατὰ cτοιχεῖον dispositos ex bibliothecarum catalogis esse petitos optimamque habere auctoritatem dudum intellectum est (cf. Volk-

---

in testimonium vocari illum contendit a vero multum recedit. Neque enim dubium est quin glossa II s. Cωτηρίδας (Ἐπιδαύριος, πατὴρ Παμφίλης, ἣ τὰ ὑπομνήματα ὑπέγραψεν (?), ὡς Διονύσιος ἐν λʹ τῆς μουσικῆς ἱστορίας, βιβλία γʹ (?) pretii nullius sit utpote ex verbis s. Παμφίλη misere conformata (cf. quae dixi Mus. Rh. n. XXXV, 58 sq.). Denique Schneiderus non amplius mirabitur quod auctor musicae historiae de Pamphilae librorum auctoritate disseruisse dicitur, si Photii (Bibl. Cod. 175, 33 sq.) de huius studiis testimonium adtente consideraverit. Ibi legitur: χρήσιμον δὲ τὸ βιβλίον (sc. ἱστορικῶν ὑπομνημάτων) εἰς πολυμαθίαν· εὕροι γοῦν ἄν τις καὶ τῶν ἱστοριῶν οὐκ ὀλίγα ἀναγκαῖα καὶ δὴ καὶ ἀποφθεγμάτων καὶ ῥητορικῆς διατριβῆς ἔνια καὶ φιλοσόφου θεωρίας καὶ ποιητικῆς ἰδέας καὶ εἴτι τοιοῦτον ἐμπέσοι. Quibus ex verbis elucet Dionysium satis habuisse causae quod in opere suo mentionem Pamphilae faceret. Ergo conruit Schneideri suspicio Dionysium eorum grammaticorum vitas tractasse qui illorum carmina conmentati essent opinantis. — [11]) Dubito huiusne Dionysii opus a Suida laudetur s. Ὀρφεὺς Ὀδρύσης . . Διονύσιος δὲ τοῦτον οὐδὲ γεγονέναι λέγει (cf. etiam Lobeck. Aglaoph. I, 352, et E. Maass. de Sibyll. indic. (1879), p. 54, n. 173), immo Dionysium Phaseliten quem περὶ ποιητῶν (cf. Vit. Nicandr. in Westerm. Biogr. p. 61, 20) scripsisse constat hic significari credo. Contra s. Ἀντιφάνης quin D. Halicarnassensis testimonium proferatur nullus dubito.

mann. I, 28 sq., II, 724, Wachsmuth. Philol. XVI, 662 sq., Symb. p. 148, U. de Wilamowitzium, Anal. Eurip. 131 sq.). In Suidae tamen tabulis id praecipue nobis agendum est, ut ordinem perturbatum quoad eius fieri possit restituamus et recentiora additamenta resecemus. Qua via procedendo genuinas πινάκων tabulas ipsas redintegrabimus, quarum haec singularis virtus est, quod ea dumtaxat quae in certis bibliothecis sive Alexandrina sive Pergamena sive aliis conlecta erant volumina respici solent (cf. Usener. Anal. Theophr. 24).

Ac *tragoediarum* quidem tabulas si perlustramus, ordinem alphabeticum integrum servatum habemus, id quod iam Volkmannus perspexit (I, 29 sq.), s. v. Διογένης ἢ Οἰνόμαος (cuius de fabulis nunc vide disputantem Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 620), Κλεοφῶν, Λυκόφρων, Φιλοκλῆς, quibus Wachsmuthius (l. l. p. 150) verissime addidit indicem qui extat s. Σπίνθαρος a Volkmanno (I, 34) perperam explicatum. In Lycophronis vero tabula id velim adtendas tragoedias tantum litterarum ordinem tenere (cf. Welcker. Trag. Gr. III, 12 sq.), cum carmen quod Alexandra inscribitur seorsum exhibitum sit. Que re optimae notae esse tragoediarum indicem probatur. Dein Philoclis fabularum plenum catalogum excerpsisse tantum Suidam docemur verbis 'ὧν ἐστι καὶ ταῦτα' (qua de loquendi ratione infra agetur), cum ab H demum littera initium faceret, in calce titulos manifesto omitteret, velut Pandionidem (cf. Kayser, Hist. cr. trag. Gr. 54 = Schol. Ar. Av. 282).

Porro tragoediarum ordinem alphabeticum obscuratum Volkmannus (I, 30 sq.) in integrum restituit s. v. Ἀπολλόδωρος, Νικόμαχος, Τιμησίθεος, etiamsi de multis rebus ambigi potest; tabulam denique s. Φρύνιχος eandem prae se ferre indolem Wachsmuthius (l. l. 150, 151) sagaciter perspexit.

Quae tabulae cum fide dignissimae sint, Thespidis tragoediarum indicem ne flocci quidem faciendum esse[12a]) iam Bentlei (Phalarid. 271, interpr. Ribb.) acumen intellexit (cf. Volkmann. I, 34). Hoc tamen diiudicari nequit, utrum Dionysius Hesychio tabulam suppeditarit an hic vel Suidas aliunde delibaverint. Unum certissimum est fabulas a Suida enumeratas (μνημονεύεται δὲ τῶν δραμάτων ..) in πίνακας nunquam fuisse relatas, quod quidem vel usus verbi μνημονεύειν a catalogorum sermone remotissimi liquido indicat.

Dein *comoediarum* tabulae quales nunc reperiuntur apud Suidam partim ex priscis ac limpidis fontibus fluxerunt partim ex Athenaei libris conlectae sunt. Quo de altero indicum genere haud dubie Suidae ipsius manu confectorum peculiariter infra disputabitur;

[12a]) Cuius tragoediarum et titulos et fragmenta Heraclidis Pontici (cf. Laert. V, 92) fraudi deberi idem Bentleius subtiliter ostendit. De huius vero opere quod συναγωγὴ τῶν ἐν τῇ μουσικῇ (διαλαμψάντων) inscribitur docte nuper disseruit Bergkius (Hist. litt. Gr. I, 404 sq.), cf. Plut. de mus. III, p. 1132 d, et Ric. Volkmanni adnot. p. 59.

priores vero Hesychio Dionysium ex bibliothecarum catalogis haustos praebuisse idem probat ordo alphabeticus[12b]) seu integer servatus seu redintegrandus. Ac primum quidem fabulae s. v. Χιωνίδης, Κράτης Ἀθηναῖος, Εὔπολις, Πλάτων, Λεύκων, Κηφισόδωρος, Φόρμος enumeratae litterarum seriem etiamnum stricte tenent, quod iam perspexere cum Volkmannus (I, 34 sq.) tum maxime Wachsmuthius (l. l. 151 sq.). Praeterea iidem ordinem obscuratum illum sed in integrum sua cura restitutum detexerunt in tabulis s. v. Φρύνιχος, Καλλίας, Στράττις, Νικοχάρης, Νικοφῶν, Φιλωνίδης, Φιλύλλιος, Σαννυρίων (cuius de fabulis vide quae dixi Mus. Rh. n. XXXV, 64 sq.), Φιλίσκος. Quarum in numero titulos s. v. Καλλίας (. . οὗ δράματα Αἰγύπτιος — ceterum nescio an huius inscriptio fuerit potius Αἰγύπτιοι eisdem Antiphanis et Timoclis conlatis —, *Ἀταλάντη*, *Κύκλωπες*, *Πεδῆται*, Βάτραχοι, *Σχολάζοντες*) praeter unum Βάτραχοι κατὰ στοιχεῖον procedere omnes Volkmannus (I, 35) vidit. Iam si argumentum perpenderis fabulae Πεδῆται — quae Calliae sine dubio vindicanda est, cf. Meinek. F. C. G. I, 214 — Πεδῆται *ἢ* Βάτραχοι germanam fuisse inscriptionem facile mihi concedes.

Quibus tabulis dubitanter addo etiam catalogos s. Μεταγένης, Διοκλῆς, Ἀπολλοφάνης, Ἀραρώς, Φιλέταιρος, Ὠφελίων, Ἡνίοχος, Σώφιλος, Τιμόθεος, Ἀπολλόδωρος Γελῷος, tamen hi omnes uberiorem atque explicatiorem flagitant enarrationem, quam in aliud tempus differre praestat.

Caput III.

De epicorum carminum tabulis e bibliothecarum catalogis petitis.

Iam cum et tragicorum et comicorum indicibus examinatis Callimachi πίνακας omninoque bibliothecarum catalogos tanquam primarios Dionysii Halicarnassensis fontes investigaverimus, ad epicorum poetarum tabulas recte aestimandas ac pernoscendas via planior facta est et expeditior.

[12b]) Noli tamen huc referre indicem s. Ἀριστοφάνης exhibitum. Substituit nimirum Suidas ex eodem Aristophanis comoediarum exemplo ex quo scholia excerpsit nomina XI fabularum a plerisque tum lectitatarum — cf. ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀ. δράματα . ., et de usu vocis πράττειν etc. vid. G. Buenger. de Arist. Equ. Lys. etc. ap. Suid. reliqu. Diss. Argent. 1878, p. 9, 10 — in locum pleni indicis quem Hesychii epitome ei praebebat (cf. Wilamowitz. Herm. v. XIV, 464 sq., et iam Anal. Eurip. 135, not. 3). Verum hanc plenam tabulam aliunde nuper recuperavimus: nam Fr. Novati ex cod. Ambros. L. 39 sup. edidit (Herm. l. l. 461 sq.) κατάλογον τῶν Ἀριστοφάνους ποιημάτων, quorum numerus (μδ′) cum Suidiano (δράματα δ' αὐτοῦ μδ′) mire concinit. Rectissime igitur — convenit enim etiam Ἀριστ. γένος in Ambros. enarratum cum brevi vita Suidae — Novati coniecit et Suidae testimonium et indicem Ambrosianum ex eodem limpido fonte, i. e. πίναξι, promanasse.

Enimvero in his item ad litterarum ordinem dispositae reperiuntur tabulae, quarum luculenta exempla s. Νίκανδρος et s. Εὐφορίων extare iam Schneiderus (Call. II, 32) perspexit, quibus v. Ἡσίοδος nec non v. Πανύασις et Εὔμολπος Wachsmuthius (l. l. p. 149, et not. 38) addidit. Qua in re unum gravissimum est. Nam, quod nemodum disertis verbis monuit, ordinem alphabeticum non servatum cernimus nisi in libris eiusdem generis indolisve recensendis, i. e. plerumque poeticis, nusquam tamen in scriptis generis diversi, ita ut ποιήματα et pedestris sermonis scriptiones *coniunctim* κατὰ στοιχεῖον non procedant. Idque vel maxime cadit in Alexandrinorum poetarum indices ex litterarum ordine digestos, quos prosa quoque oratione libros conposuisse nemo ignorat. Velut s. Εὐφορίων epica tantum carmina enumerantur, id quod ipsa Suidae verba liquido conmonstrant (βιβλία δ' αὐτοῦ ἐπικὰ ταῦτα· *Ἡσίοδος*, *Μοψοπία* ἢ Ἄτακτα .. *Χιλιάδες* ..), neque in tabula ulla fit mentio librorum pedestri sermone perscriptorum, velut eiusdem ἱστορικῶν ὑπομνημάτων, περὶ μελοποιῶν, περὶ Ἰσθμίων κ. τ. λ. Secuntur vero ex litterarum ordine (cf. Wachsmuth. l. l. 150 et inprimis not. 39) Euphorionis opera a Suida conmemorata, de quibus optime disseruit Meinekius (Anal. Alex. p. 12—15), eiusque iudicium fere conprobo, cum mira narraverit Bernhardyus (ad Suid. s. h. v.). Porro opinari licebit hanc tabulam in fronte (*Ἡσίοδος*), in medio, in calce (*Χιλιάδες* qui quidem titulus eorum qui innotuere secundum litterarum ordinem est novissimus, cf. Meinek. l. l. p. 75) a Suida delibatam esse.[13])

Dein de indice s. Ἡσίοδος servato iam nil fere habeo quod addam; videmus autem tribus titulis κατὰ στοιχεῖον ordinatis ea Hesiodi carmina quae aetatem tulere praemissa, cuius rei qualis ratio sit Volkmannus (II, 728) exposuit. Atque eandem normam in indice s. Νίκανδρος exhibito regnasse in propatulo est: Ν.... ἔγραψε Θηριακά, Ἀλεξιφάρμακα, Γεωργικά, *Ἑτεροιουμένων* βιβλία ε', *Ἰάσεων* συναγωγήν, *Προγνωστικὰ* δι' ἐπῶν (μεταπέφρασται δ' ἐκ τῶν Ἱπποκράτους προγνωστικῶν), περὶ *Χρηστηρίων* πάντων (παντοίων coniecit Volkmannus, nescio an recte, cf. simillimam Philemonis libri περὶ παντοδαπῶν χρηστηρίων inscriptionem, quacum E. Rohdius [de Jul. Poll. fontt. p. 12, n. 3] apte conposuit Nicandreum libellum, de quo prorsus aliter sensit O. Schneider. Nicandr. p. 27) βιβλία γ' καὶ ἄλλα πλεῖστα ἐπικῶς. Sed de hac tabula paulo explicatius dicendum est. Nam contra O. Schneiderum, qui (Nicandr. edit. praef. p. 19 sq.) peculiarem de Nicandri scriptis quaestionem instituit, omnia s. h. v. recensita scripta ἔπη fuisse arbitror. Hic tamen ita ratiocinatus est

---

[13]) De titulo Ἡσίοδος a Bernhardyo iniuria temptato vide Bergkium Anal. Alex. Marb. 1846, p. 19, Nietzschium Mus. Rh. XXV, 538, et XXVIII, 236. — In huius glossae fine cur Westermannus cum Bernhardyo verba ἐπιγράφεται — ἀποτελοῦνται deleverit non adsequor: sunt enim verba dumtaxat 'ὡς διὰ χιλίων ἐπῶν ἀποτελοῦνται' removenda.

(p. 26, 27): in titulo προγνωςτικὰ δι' ἐπῶν verba extrema aut solum ad προγνωςτικά aut — quod veri ducit similius — ad omnes qui antecedunt titulos posse referri: iam si hoc statueremus, librum περὶ χρηςτηρίων pedestri sermone conpositum, sin illud, τὴν ἰάςεων ςυναγωγήν 'fortasse' non item epos, sed prosa oratione conscriptam fuisse indicare voluisse Suidam. Sed neutrum effici potest. Verba enim δι' ἐπῶν ideo, opinor, adposita sunt, ut Hippocratei operis pedestri sermone perscripti metaphrasis Nicandrea non item prosa sed versibus esse conposita significetur. Unde consequens est verba δι' ἐπῶν ad προγνωςτικά unice pertinere; possumus igitur atque debemus ex novissimis verbis (καὶ ἄλλα πλεῖςτα ἐπικῶς) concludere scripta antea enumerata ἔπη fuisse, cum Αἰτωλικά (cf. Schneider. l. l. p. 19 sq.), Κολοφωνιακά (l. l. p. 25 sq.), περὶ γλωςςῶν (p. 26 sq.), περὶ ποιητῶν (p. 27 sq.), pedestria opera omnia, in Suidiana tabula omissa sint. Quae opinio firmius potest conroborari, modo pinacographorum consuetudinis supra (p. 16) nobis adumbratae reminiscamur.

Praeter has tabulas egregia fide praeditas non desunt aliae notationes, quas si acrius perpenderis eisdem ex limpidis fontibus promanasse vix diffiteberis. Ac litterarum ordini non adversari titulos s. Πανύαςις iam Wachsmuthius (p. 149, n. 38) animadvertit, quorum indolem bonam (cf. etiam Bernhardyum, Gr. Litt. Hist. II, 1[3], p. 341) vel illud evincit, quod et versuum numerus sedulo denotatur et Ἰωνικῶν argumentum paucis delineatur. Nec non verba s. Ἤριννα (. . ἔγραψεν Ἠλακάτην· ποίημα δ' ἐςτὶν Αἰολικῇ καὶ Δωρίδι διαλέκτῳ ἐπῶν τ') eandem resipiunt auctoritatem, cum ea quae hisce adnexa sunt (ἐποίηςε δὲ καὶ ἐπιγράμματα) recentiorem prodant originem. Pariterque verba τελευτᾷ . . ἐννεακαιδεκέτις — ἴςοι τοῖς Ὁμήρου ex epigrammate in Erinnam conposito (cf. Anthol. I, p. 135: οἱ δὲ τριηκόςιοι ταύτης ςτίχοι ἶςοι Ὁμήρῳ ‖ τῆς καὶ παρθενικῆς ἐννεακαιδεκάτεος) efficta esse adparet. Alexandrinis vero grammaticis Erinnae epigrammata aut non innotuisse aut suspecta fuisse reor: quanquam omnino nondum habeo exploratum poetriam revera conscripsisse epigrammata, quantumvis adfirmarint Bergkius (P. L. G.[3], p. 926) et Bernhardyus (Gr. Litt. Hist. II, 1[3], 554). Porro Choerili scriptorum notitiam ex prisco fonte haustam esse suspicor, etiamsi Suidas Choerilum Samium ab altero Alexandri aequali non satis distinxit: ἔγραψε δὲ ταῦτα· τὴν Ἀθηναίων νίκην κατὰ Ξέρξου, ἐφ' οὗ ποιήματος κατὰ ςτίχον ςτατῆρα χρυςοῦν ἔλαβε (quod praemium unice recentiori Choerilo convenire subtiliter ostendit Naekius, Choeril. [Lips. 1817], p. 81—86) καὶ ςὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγιγνώςκεςθαι ἐψηφίςθη (quae verba ad Choerilum Samium verissime idem rettulit p. 89 sq.). Λαμιακά, καὶ ἄλλα τινὰ ποιήματα αὐτοῦ φέρεται. Sed de inscriptione quam priori carmini celeberrimo Choerilus praefixerit parum constat (cf. Naekium Choer. p. 79): quippe exhibent nomen Περςηῒς Stobaeus (Sermon. XXVII, 1), Περςικά Herodianus (περὶ μονήρ. λ. p. 13).

At inscriptionem Suidianam ab aliquo Alexandrinorum grammaticorum profectam esse crediderim. Dubitant etiam de altera scriptione, utrum Λαμιακά revera audierit tum ad sequiorem certe Choerilum referenda an Cαμιακά conrigendum sit (cf. Naek. p. 101), quam quidem sententiam equidem duco probabiliorem.

Dehinc progredimur ad uberrimam tabulam s. Ὀρφεύc (Θρᾷξ) exhibitam, quade prudentissime Lobeckius (Aglaoph. I, 355 sq.) iudicavit, cum hac ipsa cum indice ap. Clem. Alex. Strom. I, p. 244 — 'quem e pinace antiqui cuiusdam critici excerpsisse videtur' (p. 353 sq.) — conlata decem titulos apud Clementem omissos 'in grammaticorum Alexandrinorum ἀναγραφαῖc non conprehensos fuisse' statuit. Itaque Suidae catalogum pristina niti auctoritate (cf. etiam Bergk. Gr. Litt. Hist. I, 396 et adn. 237), sed recentioribus additamentis deformatum esse censeo. Quod ne Bergkius quidem negavit, tamen ad Callimachum indicem revocare dubitavit. Sed nescio an inmerito: etenim si, quod ipse fatetur, Orphei opera in Alexandrinorum bibliotheca extiterunt, haec Callimachi curis in πίνακαc esse relata credere par est. Nec Bergkio adsentior dicenti Alexandrinos in Epigenis — quem ante Callimachum περὶ τῆc εἰc Ὀρφέα [ἀναφερομένηc] ποιήcεωc scripsisse ex Clem. Al. Strom. I, p. 244 conpertum habemus — de Orphei scriptis iudicio adquievisse (p. 395 sq.; not. 235), quam opinionem conparatio Epigenis fragmenti (l. l.) cum Suidae tabula instituta confestim infringet:

Epigenes.	Suidas.
Ἐπιγένηc δὲ ἐν τοῖc περὶ τῆc εἰc Ὀρφέα ποιήcεωc Κέρκωποc (cf. Lobeck. Agl. I, 354) εἶναι τοῦ Πυθαγορείου τὴν εἰc Ἅιδου Κατά βαcινκαὶ τὸν Ἱερὸν λόγον, τὸν δὲ Πέπλον καὶ τὰ Φυcικὰ Βροντίνου . .	. . εἰc Ἅιδου κατάβαcιν. ταῦτα Ἡροδίκου [Προδίκου O. Mueller. Orchom. 118, et Welcker, Ep. Cycl. 255] τοῦ Περινθίου . . Ἱεροὺc λόγουc . . λέγονται δ' εἶναι Θεογνήτου τοῦ Θεccαλοῦ, οἱ δὲ Κέρκωποc τοῦ Πυθαγορείου . . Πέπλου καὶ Δίκτυον· καὶ ταῦτα Ζωπύρου τοῦ Ἡρακλεώτου, οἱ δὲ Βροντίνου . . Φυcικά, ἃ Βροντίνου φαcίν.

Unde probabili coniectura possumus efficere Alexandrinos grammaticos Epigenis studia aliorumque fortasse in usum suum convertisse, ipsos tamen in fidem librorum Orpheo adscriptorum inquirere minime supersedisse.

Iam duae epicorum tabulae relicuae sunt, quas item ex bibliothecae alicuius catalogo fluxisse veri simillimum est. Sic legitur s. Ἀρριανόc ἐποποιόc . . μετάφραcιν τῶν γεωργικῶν τοῦ Βεργιλλίου ἐπικῶc ποιήcαc, Ἀλεξανδριάδα (ἔcτι δὲ τὰ κατὰ τὸν Μακεδόνα ἐν ῥαψῳδίαιc κδ'), εἰc Ἄτταλον τὸν Περγαμηνόν ποιήματα: qua in tabula vides eundem non posse dici auctorem et metaphrasis Vergilii georgicon et carminis in Attali honorem conpositi. Quam temporum dissidentiam Meinekius (Anal. Alex. 371) ita facillime sustulit, ut duos cognomines Suidae inscitia confusos esse statueret. — Praeterea indiculum s. Μουcαῖοc Ἐφέcιοc servatum a πίναξι repeto: ἐποποιὸc τῶν εἰc τοὺc Περγαμηνοὺc καὶ αὐτὸc κύκλουc.

ἔγραψε Περσηΐδος βιβλία ι' καὶ [ὕμνους intercidisse suspicatur Wachsmuthius] εἰς Εὐμένη καὶ Ἄτταλον. Quae verba dici nequit quantopere homines doctos torserint, quorum opiniones congessit Volkmannus (III, p. VIII et not. 8, vid. etiam C. Muellerum, Fr. H. Gr. IV, 518 cum adnot.); verum huius ipsius conamen rei enodandae vel maxime displicet. Ac primum quidem Kustero et Bernhardyo adstipulor 'κύκλους' de conlegio vel docta hominum Pergamenorum societate interpretantibus: quam rationem si amplectimur una cum Wachsmuthio verbis καὶ αὐτός post ἐποποιός transpositis — ita ut Musaeus Ephésius cum Eleusinio conferretur, vid. p. 406 —, hinc talis fere sententia elicitur: 'Musaeus . . et ipse poeta epicus, unus ex iis qui in conlegia Pergamena adlecta erant'. Qua cum notatione haud scio an apte queant conparari quae s. v. Λεσχίδης leguntur: ὃς συνεστράτευσεν Εὐμένει τῷ βασιλεῖ· ἦν ἐπιφανέστατος τῶν (sc. Περγαμηνῶν) ποιητῶν. συνῆν δὲ τούτῳ καὶ Πυθέας ὁ συγγραφεὺς καὶ Μένανδρος ὁ ἰατρός.

Unum superest exemplum, quod unde originem traxerit pro certo dici nequit, tabula videlicet s. Ἀριστέας . . τὰ Ἀριμάσπεια καλούμενα ἔπη (ἔστι δ' ἱστορία τῶν Ὑπερβορέων Ἀριμασπῶν) βιβλία γ' . . ἔγραψε δ' οὗτος καὶ καταλογάδην· (nam sic distinguendum est; notitiam vero de opere 'Θεογονία' plane mendacem esse constat, cf. E. Hillerum Mus. Rh. n. XXXIII, 522) Θεογονίαν εἰς ἔπη ,α, in qua carminis epici ad argumentum numerumque librorum descripti notitiam non sine veri specie πίναξι vindicare possumus (cf. etiam E. Rohdium ibid. p. 181, n. 2). Quanquam Dionysius Halicarnassensis (π. τ. Θουκυδ. χαρ. c. 23, p. 863 sq.) et Cadmi Milesii et Aristeae scripta inter ea rettulit, quae licet aetatem tulissent non uno consensu pro genuinis haberentur. Sed Callimachus, opinor, fidem illius carminis suspectam sedulo notare supersedit. — Nil certi denique enucleare potui de Homeri operum tabula, quam ex diversis particulis conflatam esse liquet, nec facile est singularum originem expiscari, cum permulti scriptores in Homeri vita et poesi enarranda desudaverint (cf. Tatian. ap. Euseb. Pr. Ev. X, 11 = O. Schneider. Call. II, fr. 390). Tamen singulos titulos quoniam inconposite ac plane temere procedunt, Callimachi — quamvis Homeri quoque carminibus hunc operam navasse (cf. ibid. fr. 74[a]) probe cognitum habeam — niti auctoritate vix crediderim (cf. C. Diltheyum de Call. Cydipp. 10, H. Flach, Eud. et Suid. 56).

Hactenus de epicorum poetarum tabulis. Ceterarum auctores rimari in praesens mitto. Sed de Sibyllarum indicibus nonnulla adiciam. Etenim E. Maass (de Sibyll. indic., dissert. Gryph. 1879, p. 51 sq.) verissime perspexit duos in Suidae lexicon inmigrasse indices Sibyllarum, alterum 'Varronianum' [ὅτι Σίβυλλαι — βιβλία γ' (pro β'), cf. p. 32 sq., 37 sq.], alterum Hesychianum Sibyllas quae carmina reliquerunt recensentem — [Σίβυλλα Δελφίς — ὁμοίως χρησμούς], inter quos glossam de Sambetha Iudaea vilissimam esse insertam [Σ. Χαλδαία — οἱ χρησμοὶ αὐτῆς]. Hesychiana vero tabula, in qua

non nihil probi insit, unde originem traxerit nescit (p. 54), sed ad auctorem Hadrianeae aetatis redire eam opinatur. Sed quid obstat ne Dionysium (musicum) auctorem esse credamus, praesertim cum Photius (Bibl. C. 103, b. B) in Sopatri (i. e. Rufi, cf. p. 411) libro Sibyllas invenerit recensitas? Ceterum haud negarim Dionysianam doctrinam recentioribus additamentis sensim auctam esse.[14a]) Praeterea autem non pauci librorum indices occurrunt, quorum fidem vel admodum suspectam vel omnino nullam esse post Bergkium E. Hillerus (Mus. Rh. n. XXXIII, 522 sq., cf. p. 518 sq.) sagaciter perspexit. Inspice quaeso Palaephati operum tabulam: ubi sat miram versuum descriptionem a πίναξι repetere nolim, cum omnes tituli mere effecti sint (cf. Bergkium, l. l. I, 405, et n. 270; Hillerum, l. l. p. 522).

Ac plane eiusdem generis sunt verba s. Ἀριστέας (vid. supr. p. 417) extrema, s. Εὔμολπος . . ἔπη τὰ πάντα τρισχίλια (cf. Hiller. p. 523). Nec minorem dubitationis causam habent indices s. Ἀντίμαχος ἕτερος, s. Ἐπιμενίδης (cuius de scriptis recte sensisse videtur Hillerus, p. 525 sq.; praeterea cf. Bohrenum de Sept. Sap., Bonn. 1867, p. 9, n. 8), s. Θάμυρις (φέρεται δὲ αὐτοῦ θεολογία εἰς ἔπη τρισχίλια, cf. Bergk. p. 404 sq., Hiller. p. 522), s. Ἰδαῖος Ῥόδιος (. . ἔγραψε καὶ ἄλλα Ῥοδιακὰ εἰς ἔπη ,γ), s. Κόριννος (πρῶτος γράψας τὴν Ἰλιάδα, cf. Bergk. 406), s. Μουσαῖος Ἐλευσίνιος (ἔγραψεν ὑποθήκας Εὐμόλπῳ τῷ υἱῷ ἔπη ,δ, καὶ ἄλλα), s. Ὀρφεὺς Κικοναῖος, s. Ὀ. Κροτωνιάτης, s. Ὀ. Ὀδρύσης, quorum de libris iam Lobeckius (Aglaoph. I, 355 sq.) sanissimum tulit iudicium cum diceret: ‘multo magis (quae in altera pagina secuntur) Byzantinorum pergulas redolent’. In quibus vel maxime suspecti sunt qui Orpheo Ciconeo tribuuntur (cf. etiam Lobeck. p. 378): et multa id genus scripta Neoplatonicorum demum aetate (altero p. Chr. saeculo) orta esse subtiliter monuit Bergkius (l. l. p. 400, 401). Plurimos vero titulos Hesychio non Dionysium suppeditasse, sed Hesychium Suidamve ipsum nescio quibus e latebris inscite congessisse mihi persuasum est.

Caput IV.

De lyricorum carminum tabulis a Dionysio e Callimachi potissimum catalogis Hesychio suppeditatis.

Dionysium musicum in lyricorum vita rebus scriptis enarrandis praecipuam conlocasse operam cum huius operis indoles ipsa abunde doceat, tum ex Sopatri eclogarum descriptione Photiana de qua supra vidimus optime intellegitur. Prae ceteris igitur huic ipsi Dionysianae scriptionis parti egregiam fidem tribuere possumus, qua

[14a]) Tamen hoc loco non possum non castigare levitatem qua Maassius de Hesychii fontibus iudicavit: quippe ne Philonem quidem Byblium inter praecipuos illius auctores disertim conmemoravit, nec philosophorum vitas unquam extremis tantum digitis adtigisse videtur.

tamen in re id velim adtendas, in Suidae notationum mole pristinam Dionysii copiarum speciem saepiuscule deformatam et recentioribus supplementis adauctam esse. Dionysii vero ipsius testimonia a locupleti quodam auctore oriunda esse signa nonnulla probant eaque gravissima. Etenim in lyricorum poetarum tabulis vel librorum seu versuum numerum adcurate definitum vel libros ex argumento dispositos vel eosdem ex litterarum ordine digestos vel singulorum poematum dialectum metrumve diligenter enotatum deprehendimus. Nec non in poetarum ipsorum aetate enarranda distinctam temporum notitiam cum spectamus, ad eruditissima Alexandrinorum chronographorum studia ultro deferimur. Omnino autem qui harum vitarum indolem considerarit, artiore nexu paene omnes contineri facile intelleget. Quippe videmus uniuscuiusque fere poetae nomen patriam parentes poeseos genus aetatem carmina concisa eademque dicendi ratione ita delineata, ut talia ad conmunem peculiaremque fontem non redire nequeant. Sed auctorem ipsum quem tandem fuisse censebimus? Ac Mauritius quidem Schmidtius (Didym. Fragm. p. 394 sq.) lyricorum et septem sapientium vitas ex libro περὶ λυρικῶν ποιητῶν derivatas esse statuit, cuius auctorem Didymum non illum Chalcenterum sed musicum[14b]) fuisse autumat —: quam totam opinionem paene nullis argumentis fultam Fr. Nietzsche (Mus. Rh. n. XXII, 200) iure refutavit unaque demonstravit lyricorum notationes cum pinacographorum curis multo magis quam volgo opinantur cohaerere. Tamen hic paululum subsistere et rem ipsam sedulo pervestigare placet. Atque ut statim quod sentio pronuntiem, illarum vitarum eam condicionem esse video, ut harum fundamentum iecerint Callimachi πίνακες, dein quae huius generis a Callimacho paucis enotata erant ceteri Alexandrini grammatici vel successores quos ille in bibliotheca administranda habuit auxerint et amplificaverint. Quam sententiam ut confirmemus, id praecipue ratione ac via probandum videtur, Callimachum in πίναξι non solum nuda scriptorum operumque nomina enumerasse, sed de vita quoque auctorum pauca adnotasse. Ac duo potissimum testimonia hanc opinionem conmendare videntur: 1) Athen. VI, 252, c (cf. Wachsmuth. Philol. XVI, 659, et O. Schneider. Call. II, 318): Ἀττάλου δὲ τοῦ βασιλέως ἐγένετο κόλαξ καὶ διδάσκαλος Λυσίμαχος, ὃν Καλλίμαχος μὲν Θεοδώρειον ἀναγράφει, Ἕρμιππος δὲ ἐν τοῖς Θεοφράστου μαθηταῖς καταλέγει. 2) Laert. (Diog.) VIII, 8, 1 (vid. eosdem): Εὔδοξος . . τὰ μὲν γεωμετρικὰ Ἀρχύτα διήκουσε, τὰ δὲ ἰατρικὰ Φιλιστίωνος τοῦ Σικελιώτου, καθὰ Καλλίμαχος ἐν τοῖς πίναξί φησι, quocum cf. Eudociae — quae Laertium conpilavit — Violar. p. 193: Ἐ . . ἀκουστὴς . . ὡς Καλλίμαχος ἐν τοῖς Πίναξιν, Ἀρχύτα καὶ Φιλιστίωνος. Extat et tertium

[14b]) Hanc ipsam de Didymo musico sententiam rectissime inprobarunt O. Schneider (Diar. antiqu. a. 1855 (no. 31), p. 241 sq.) et E. de Leutsch (Phil. XI, 20, not. 60), qui tamen eis quae de Pindari carminum dispositione (ibid. p. 17 sq.) disseruit, iustam rei rationem neutiquam perspexit.

testimonium (Procl. in Parm. Plat. Cous. 5 = Wachsm. l. l. p. 659 = Schneid. l. l. p. 305 sq.: διδάσκαλος μὲν ὁ Παρμενίδης, μαθητὴς δὲ Ζήνων, Ἐλεᾶται δ' ἄμφω, καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ Πυθαγορικοῦ διδασκαλείου μεταλαβόντε, καθάπερ που καὶ Καλλίμαχος [CD: Νικόμαχος] ἱστόρησεν), sed hoc propterea adscisci nequit, quod ex πίναξι manasse non exploratum est (cf. C. Diltheyum de Call. Cydipp. 18, n. 1). Iam vero Wachsmuthius (l. l. 661) singulis auctoribus Callimachum breves de vita et studiis notulas subiecisse haudquaquam certum esse dixit: nam priorem illum locum (Ath. VI, 252, c) ita explicari posse, ut Lysimachus pleno nomine Θεοδώρειος adpellatus sit ne cum cognominibus confunderetur, alterum (Laert. VIII, 8, 1) sic ut similium reminisceremur inscriptionum, velut Φιλοδήμου περὶ τῆς τῶν θεῶν εὐστοχουμένης διαγωγῆς κατὰ Ζήνωνα (in vol. Hercul. VI), Φιλοδήμου τῶν κατ' ἐπιτομὴν ἐξειργασμένων περὶ ἠθῶν καὶ βίων ἐκ τῶν Ζήνωνος σχολῶν (vid. Wachsm.). Utramque vero explicationem incertam esse quamvis non diffiteatur, respecta tamen tota πινάκων indole singulis scriptoribus de praeceptoribus potissimum pauca addita fuisse arbitratur. Hactenus Wachsmuthius. Sed prioris testimonii explicatio Wachsmuthiana mihi equidem parum adridet: etenim cum Lysimachi illius nomen minus fuerit celebratum quam ut istius modi opus esset distinctione, tum Hermippi Callimachei verba liquido monstrare videntur illic revera agi de Lysimachi praeceptore investigando, non de illo a cognominibus secernendo. Alterum autem exemplum quo res dirimatur aptissimum est: enimvero πίνακες ipsi in testimonium vocantur, nec Wachsmuthii ratio interpretandi ut nimis artificiosa mihi probatur. Quare ne hic quidem infitias ire possumus Callimachum de Eudoxi magistro quaedam adnotasse. Quid? quod πινάκων indoles ipsa prohibere videtur, ne auctorum nomina et scripta nude posita fuisse opinemur.[15] Cave tamen hoc munus latius patuisse

[15]) De inmortalibus Callimachi curis pinacographicis sat notum est doctissime disputasse C. Wachsmuthium (Philol. XVI, 653 sq.), deinde Fr. Nietzschium (Mus. Rh. n. XXIV, 189 sq.) hanc rem in transcursu tetigisse, sed parum probabiliter [sic huius de numero CXX librorum πινάκων coniectura iam a Schneidero (Call. II, 304 sq.) merito explosa ab omni veritate abhorret, nec secus illud displicet, quod Callimachum catalogo τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων ad certam πινάκων partem carmina omnis generis conplectentem 'sese praeparasse' statuit; rectissime vero meo quidem iudicio de ordine catalogi τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων disseruit, p. 190, n. 2], tum O. Schneiderum (Call. II, 297 sq.) totam quaestionem retractasse et Wachsmuthio adsentientem et refragantem. Verum singula plenius enarrare vel percensere ab hoc loco alienum est, sed pauca delibare placuit. Ac primum quidem Schneidero (p. 300, 301, 302) nequeo non obloqui ex verbis Tzetzae conmentarii in sec. Ambrosiano conprehensi (cf. Ritschelii opusc. phil. I, 200, lin. 2): Καλλίμαχος — ὑστέρως μετὰ τὴν ἀνόρθωσιν τοὺς πίνακας αὐτῶν ἀπεγράψατο (cl. etiam verba Ambros. primi: ὧν βίβλων τοὺς πίνακας Κ. ἀπεγράψατο) id elicienti, Callimachum librorum tabulas a primis bibliothecae ordinatoribus conpositas in suos πίνακας postea

suspicere, quasi Callimachus in scriptorum vitam dedita opera inquisivisset: fundamentum tantum iecit, quo posteriores vere biographi (in primis Hermippus) sua superstruxerunt aedificia.

Aperuimus igitur interiorem Suidae notationum et Callimachi πινάκων cognationem: qua enucleata pernecessarium est pristinam germanamqne singularum vitarum formam recuperare.

Quae praefatus iam lyricorum carminum tabulas ipsas examini subiciam. Ac primum quidem indices ex argumento digestos percensere lubet, quem quidem ordinem lyricae poeseos generi utpote maxime convenientem (cf. Wachsmuth. Symb. 149) et Callimachus secutus videtur (cf. eundem Phil. XVI, 661 sq.).[16]) Prae ceteris vero

transtulisse in suumque usum convertisse. Cui interpretationi obstrepit sane usus loquendi (vid. Herod. III, 136, Plut. reg. apophth. p. 143), atque ex vocabulo ὑςτέρωϲ bis adhibito (in Ambros. sec. et in gramm. Paris.), quod Schneiderus consulto neglexit, necessario efficitur μετὰ τὴν διόρθωϲιν demum operam institutam esse pinacographicam. Praeterea scholii Plautini verba (p. 6, 3: 'Callimachus — etiam singulis voluminibus titulos inscripsit', quae equidem versionem parum adcuratam non tam verborum gramm. Paris. [p. 6, 15 Cram.], 'ὧν τοὺϲ πίνακαϲ ὕϲτερον Κ. ἀπεγράψατο' [sic enim scribendum esse duco pro ἐπεγράψατο, Meinek. Praef. ad Call. edit. XV: ϲυνεγράψατο] quam Ambrosiani sec. (ὧν βίβλων τοὺϲ π. Κ. ἀπεγράψατο esse censeo) adfatim docent singula volumina ante Callimachi operam ad πίνακαϲ nondum relata sed disposita tantum fuisse: eis vero quae infra exposuit Schneiderus (p. 307 sq.), tota eius opinio labefactatur. Qua re inmerito Tzetzae eam vindicavit sententiam (p. 302), ut bibliothecae Alexandrinae catalogos diversos fuisse existumarit a Callimachi πίναξιν, in quibus conscribendis illos adhibuerit. Nec ceteris quidem argumentis id mihi persuasit Schneiderus (p. 303 sq.), cum Callimachum litterarum historiam condere voluisse probatum iret. Num tandem inde quod πίναξ τῶν διδαϲκάλων κατὰ χρόνουϲ dispositus fuisse perhibetur pro certo licet conligere in relicuis scriptoribus adornandis eandem invaluisse rationem chronologicam? Immo ni omnia fallunt ex peculiari illo testimonio contrarium effici potest. Sed omnino nondum perspectum est qualis fuerit indoles huius διδαϲκάλων catalogi a Suida seorsum recensiti; tamen non inepte suspicari possumus hoc ipsum opus a ceteris catalogis seiunctum fuisse, quo quidem Callimachus didascalicis curis Aristotelis locupletissimis adiutus peculiarem scaenicorum poetarum historiam conprehendisse videtur. Atque hoc ipsum fuit quo huius πίνακοϲ ratio a ceteris longe differebat. Horum autem indolem a nostrorum catalogorum ieiunitate multo afuisse sciendum est. Inde etiam illud explicatur quod Callimachus singulorum auctorum nominibus breves de vita subiecit notationes. Tamen hoc munus artissimis limitibus coercitum erat nec tam late patuisse videtur quam Schneidero visum est, quo suam opinionem stabiliri putavit. Certe quae ille de Homeri genere atque aetate disputasse narratur (cf. Call. fr. 390), num ad πίνακαϲ pertinuerint nescitur, neque etiam in φιλοϲόφων ἀναγραφῇ monuit περὶ γλωϲϲῶν Democriti (fr. 29 = Schneid. p. 322), sed proprio opere de iis egit, quod pluribus explanare huc non adtinet. De ceteris rebus quae huc faciunt adi subtilem Wachsmuthii (l. l. 661 sq., Symb. 148 sq.) enarrationem. Denique confer quae his de rebus prudenter exposuit G. Steffen de canon. qui dic. Aristoph. et Aristarchi, Lips. 1876, p. 3 sq. et not. 3, quem deinde secutus est O. Hampe (Ueber d. sog. Kanon der Alexandriner, Progr. Gymn. Jauer. 1877, p. 5 sq.) in eandem sententiam atque Schneiderus inclinans, auctore tamen non nominato. — [16]) Quae

enitet tabula ditissima s. Πίνδαροϲ . . ἔγραψε δ' ἐν βιβλίοιϲ ιζ' Δωρίδι διαλέκτῳ ταῦτα· (quae nunc enumerantur): quade quanquam docte et sagaciter ut adsolet nuper disputavit Bergkius (Poet. Lyr. Gr. I⁴, 367 sq.), tamen omnia nondum ad liquidum perducta videntur. Sed totam tabulam singillatim examinare nolo, immo satis habeo Bergkii sententiam hic illic vel emendasse vel supplevisse. Extant vero duae carminum Pindaricorum recensiones, quarum unam exhibet Suidas (vel ut rectius dicam eius fontes), alteram vitae Pindari (in cod. Vratisl., cf. Westerm. Biogr. p. 98, 43 sq.) auctor atque Eustathius (vid. Westerm. l. l. p. 96, 70 sq., Bergk. l. l. p. 367 sq.). Quae cum ita sint quaestio oritur gravissima, utra harum recensionum vetustiorem habeat originem. Ac Boeckhius quidem (Pind. Opp. II, 2, 553 sq.) Suidianum indicem recentiorem eumque ab Aristarcho profectum esse censet, Aristophani autem Byzantio alterum vindicat, quem Pindari carmina primum in ordinem redegisse statuit. At Schneidewinus (Pind. Carm. ed. Dissen-Schneidewin. I, p. XCVI) pro Aristarchi nomine Callimachum substituit, ceterum in medio reliquit, utram confecerit tabulam. Cuius opinionem ad veritatem multo propius accedere negari nequit. Sed Bergkius primus (l. l. 396 sq.) mutuam inter utramque recensionem rationem acrius perspexit, cum alteram Aristophani adtribueret, vetustiorem esse priorem contenderet. Hanc tamen non a Callimacho alienam esse sibi persuasit, quippe qui cum ita disposita repperisset poetae carmina etiam in tabulas suas recepisset: Suidae vero auctorem ex hoc πινάκων opere Pindaricorum carminum tabulam delibasse. Nec recte Schneidewinum coniecisse a Callimacho talem in Pindari carminibus operam positam esse, quae huius studiis minime conveniret, ut qui non carminum editiones Aristophanis Aristarchi aliorumque instar paravisset sed librorum indices confecisset; neque omnino fuisse consentaneum nova eum moliri, verum res a maioribus traditas sedulo recolere, denique hac recensione ante Callimachum usos esse Aristoxenum Theophrastum Chamaeleontem. Haec quidem Bergkius. Cui statim obiciendum est de Callimachi editionibus hic non agi; is enim libros in bibliotheca servatos et antea ordinatos in πίνακαϲ suos rettulit, qua in re considerandum est multa opera quavis inscriptione caruisse, quam eruere demum et constituere debuit Callimachus. Ergo huius catalogo tabulam iure adsignabimus. Recensionem autem illam iam Peripateticis innotuisse veri dissimillimum est neque ullo nomine Bergkii explanatione probatum (p. 371 sq.): haudquaquam enim exploratum est fragmentum 123 (Bergk.) ex Chamaeleonte, vel fr. 126 ex Ari-

---

Wilamowitzius (Anal. Eurip. p. 132) de lyricorum et ceterorum scriptorum disponendorum ratione in medium protulit, parum dilucide aut distincte exposita sunt nec omnino probabiliter. Quid enim illud valet: 'scio quid in Suidae fidem infringendam non sine quadam veri specie obverti possit,' vel similia quae pro exploratis venditavit vir ingeniosus?

stoxeno, vel etiam fr. 128 ex Theophrasto promanasse — id certe falsum est, quod verba Athenaei X, 427 d: λέγω δ' οἷον καὶ Πίνδαρος πεποίηκε κ. τ. λ. evidenter arguunt. Sed omnino Peripatetici de Pindari carminum recensione parum solliciti fuisse videntur.

Verum ut ad Suidae tabulam praevertamur, generalem eius divisionem talem esse animadvertimus, ut primo loco carmina enumerentur — in fine enim scribendum videtur ἐπιγράμματα, πάντα ἐπικά, cum volgo legatur ἑ. ἐπικά, quam vocem mendosam esse nullo iure Bergkius (l. l. 367, not. 4) contendit in 'ἐπικά' versuum numerum latitare opinatus; immo est 'versibus conposita', quo de usu vocabuli vide e. g. Nietzschium Mus. Rh. n. XXII, 197; cf. etiam Suid. s. Νίκανδρος, Χριστόδωρος, alibi; respicit autem ad omnes qui antecedunt titulos —, secundo liber pedestri sermone conscriptus (καὶ καταλογάδην παραινέσεις τοῖς Ἕλλησι καὶ ἄλλα πλεῖστα, quae verba extrema haud scio an Suidas ipse suo arbitratu adposuerit). Quoniam vero verbis βιβλία ιζ' sine dubio carmina dumtaxat conprehenduntur, Suidae autem seu librariorum socordia titulos Νεμεονίκας et Ἰσθμιονίκας omissos esse Kusterus perspexit, poemata recensita numerum illum uno excedere patet: quare scribendum esse duco σκολιὰ ἢ ἐγκώμια, quorum iam Boeckhius et Bergkius (l. l. p. 373) his illa adnumerarunt. Idem denique carmina ipsa secundum argumentum disposita esse luculenter evicit (p. 370).

Inter ceteras lyricorum poetarum tabulas Theognidea vel dignissima est quae paulo enucleatius excutiatur: Θέογνις Μεγαρεύς.. ἔγραψεν ἐλεγείαν εἰς τοὺς σωθέντας τῶν Συρακουσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ, γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη ͵βω, καὶ πρὸς Κύρνον τὸν αὐτοῦ ἐρώμενον, γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς, τὰ πάντα ἐπικῶς. Quo de indice plenissime ac doctissime disputavit Fr. Nietzsche (Mus. Rhen. n. XXII, inprimis p. 188 sq.), tamen huius iudicium in multis iisque gravissimis rebus conprobare nequeo. Praecipue autem id demonstrare conatus est, Alexandrinis grammaticis carminum Theognideorum volumen non iam integrum praesto fuisse, unde γνωμῶν conlectionem ad tempora quae inter Platonem ac Ptolemaeum Philadelphum interiacent redire conclusit. Suidae vero notationem ipsam a doctis Alexandrinorum studiis repetiit (ceterum cf. quae iam Welckerus exposuit Proleg. in Theognid. edit. p. LXIII sq.); dein rectissime verba in fine glossae adiecta (ὅτι μὲν παραινέσεις κ. τ. λ.) Suidae ipsi tribuit (cf. H. Schneidewin. de syllogis Theognideis, Diss. Argentor. 1878, p. 40 sq.), relicua ab Hesychio Milesio derivavit. Tamen in his διττογραφίαν latere coniecit, cum titulus γνῶμαι δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη ͵βω idem esset qui γνωμολογία πρὸς Κύρνον.. καὶ ἕτεραι ὑποθῆκαι παραινετικαί. Ergo Suidam duas Hesychii notationes in unam conglutinasse, quam observationem eo confirmari arbitratur, quod in Eudociae violario duae de Theognide glossae occurrerent. Dehinc illud probare studuit (p. 191—193), Eudociam

usam esse non Suidae sed Hesychii opere. Sed hic paululum subsistamus. Enimvero Nietzschius nequaquam probavit revera conflasse Suidam duos Hesychii articulos (idem sumpsit Bernhardyus, Hist. Litt. Gr. II, 1^3, 529); immo res aliter potest expediri. Nam ut ilico profitear, Suidas vel auctor eius totum opus (γνῶμαι) versuum numero adiecto in fronte tabulae laudavit, deinde singulas eius partes subiunxit: 1) γνωμολογίαν πρὸς Κύρνον. 2) ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς, in quibus nomina eorum quos poeta adpellaverit olim eodem modo enotata fuisse suspicari licebit.

Deinde vero mihi nondum exploratum est Eudociam ab Hesychio Milesio totam pendere; immo rem sic sese habere credo, ut docta mulier et Hesychii et Suidae thensauros despoliaverit.[17]) Praeterea

[17]) Quod uberiore argumentatione probari vetant conmentationis angustiae; quare pauca delibasse sufficiat. De fontibus quos Eudocia consuluerit hominum doctorum opiniones in duas partes abeunt, cum alii velut Bernhardyus (Conm. de Suid. lex. p. XXVIII, XXXI), Ric. Nitzschius (p. 28 sq.), Usenerus (Mus. Rh. n. XXVIII, 417) e Suidae lexico Eudociam pleraque deprompsisse, alii iique plurimi, ut M. Schmidtius (Didym. 392, et Annal. phil. t. 71 (a. 1855), p. 474), Roseus (De Ar. libr. o. et a. p. 50), H. Weberus (Philol. Suppl. III (1864), p. 469, n. 35), prae ceteris autem Fr. Nietzschius (l. l. 189 sq.) et nuperrime H. Flachius (Untersuch. üb. Eudok. u. Suid. Lips. 1879, p. 37 sq.) onomatologum Hesychianum conmunem Suidae Eudociaeque fontem fuisse autument. Quibus omnibus possum neque adsentiri neque obloqui. Totam vero quaestionem qui nunc retractandam suscepit Flachius praeiudicata opinione plane abreptus ad eandem omnia normam eadem fere putida sedulitate exegit nec in re ipsa enucleanda multum profecit, quantumvis chartae fuerit prodigus. Flachii tamen librum explicatius enarrare ac percensere mox alibi conabor. Maiore contra cautione ac prudentia R. Nitzsche (Quaestt. Eudoc. capp. IV, Lips. 1868) rem adgressus est, cuius disputationis ordini quae nunc proponam adconmodare liceat. Ac primum quidem tenendum est excerpta Eudociana praecipue in adferendis singulorum scriptorum operibus interdum esse auctiora (p. 30, 31): quae partim ipsam addere potuisse Nitzschio largior, plurima non item (p. 32, 33). Quorum additamentorum indolem si consideraveris, non pauca neminem suppeditare potuisse nisi Hesychium facile dispicies. Recte porro N. (p. 34—35) de Eudociae narrationibus ad fabularem historiam pertinentibus sensisse videtur; id tamen probare haud contigit (p. 36—40) Eudociam multas narrationes Suidianis manifesto vetustiores e propriae doctrinae dotibus adiecisse, quae omnes fere unice Hesychio debentur. At non desunt indicia sane quam gravissima, quibus illam Suidae thensaurum in usum suum convertisse luculenter evincitur. In 'violario' nimirum antistoichici quem nuncupant ordinis tot vestigia N. detexit (p. 41—43), ut amplius dubitari nequeat quin plurimas vitas hauserit ex lexico ratione antistoichica adornato, quod aliud fuisse arbitrabimur nisi Suidianum? Sed haud mediocriter demiror quod Flachius huius rei singularis parum habuit rationem. Huc adprime convenit quod Eudocianae scripturae cum deterioribus libris Suidae multifariam concinunt, neque etiam ab erroribus in quos Suidas incurrit illa cavit (p. 43 sq., sed s. Διογενειανός iusto simplicius N. rem expedire conatus est; cf. Rohdium Mus. Rh. XXXIII, 180), qua in re id N. potuit urgere, quod Eudocia una cum Suida in glossa Μέλητος describenda eodem modo turpiter erravit. Quibus ponderatis Eudocia Suidae lexicon usurpasse mihi videtur, ita tamen ut Hesychii

Nietzschius ingens turpium errorum onus parum caute Hesychio ipsi inposuit, quorum plurimos nemo nisi Suidas Eudociave conmisisse mihi videntur. Sed plane praepostere de duabus Eudociae glossis cogitavit. Ubi tandem Theognidis bis memoriam iniecit erudita mulier? Nimirum hunc primum recensuit in grege eorum hominum, quos doctrina non insignes ceteris praemisit: posteaquam enim de Theognide Atheniensium tyranno egit, statim Theognidis poetae memoriam adnexuit (ceterum cf. Flach. l. l. p. 83). Quae glossa in brevius contracta cum Suidiana convenit remoto quidem in fine cum Nietzschio (p. 194) errore (ἔγραψε δὲ καὶ γνώμας παραινετικάς). Adparet autem illam utpote ex Suida conflatam (nescio an ipsa Eudociae manu) quavis auctoritate esse inmunem. Nec minus in aperto est Eudociam ex eodem alteram glossam s. Θέογνις (ποιητής) p. 232 deprompsisse, nisi quod paulo aliter eam excerpsit. Quare temere ille opinatur huius verba 'γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη ,βω' ex priore articulo adglutinata esse. Utramque igitur glossam Eudocianam cum Suida conspirare patet. Unde consequitur Nietzschii molimen quo duas glossas Hesychio reddidit plane cassum esse, nec non ceteras eius ratiocinationes omni carere fundamento.[18]) Sic conruit etiam ista opinio quam priore glossa perpensa mente concepit: cuius auctori et γνωμῶν syllogam et unam elegiam, non carmina integra omnia innotuisse existumat. Nec vero conpertum habemus quot elegias Theognis conscripserit (p. 198, vid. Welcker. Proll. in Theogn. XV sq.), perinde atque incertum est elegiam in Syracusanos conpositam genuinorum carminum fuisse particulam vel γνώμας ex his ipsis esse excerptas. Horum omnium argumentorum nervum admodum laxum esse per se ipsum intellegitur. Nec Leutschium (Philol. XXX, 232) quidem Nietzschii disputationem conprobasse video, quanquam argumenta addere supersedit (ceterum cf. etiam F. Ramorino Rivist. di filolog. IV, 1—49, 238—249). Hic tamen ipse suam de singulis Theognidis carminibus sententiam parum perspicue neque ad persuadendum adposite in chartam coniecit. Namque tria maiora carmina voluit distingui (p. 207), primum elegiam in Syracusanos, qua-

---

onomatologum et conrigendi et locupletandi causa consuluerit. — [18]) Sic ut uno exemplo evincat (p. 195) in πίνακας Theognidem bis esse relatum, ad gl. Ἐπίχαρμος nos relegat, ut cuius bis fecerit mentionem Eudocia. Quo nil probatur, cum priorem ex Suida (s. ex Hesychio), alteram ex Laertio VIII, 78 ipsa deprompserit. Ergo perperam conlegit Theognidis memoriam et in ἀναγραφῇ τῶν ποιητῶν et in ἀ. τῶν φιλοσόφων illam repperisse. Nec minus prave coniecit in φιλοσόφων ἀναγραφῇ Phocylidem subsecutum esse Theognidem, propterea quod ille φιλόσοφος et σύγχρονος Suidae adpellaretur, ac plane incredibile est alterum quem posuit (p. 194) Hesychii articulum propter aetatis definitionem suppressam ex tali ἀναγραφῇ fluxisse. Quid? quod Diltheyi (Mus. Rh. XVIII, 150 sq.) coniecturam ἠθικῶς pro ἐπικῶς in ordinem recepit: sed vocabulum illud 'in versibus' est, quo omnes ὑποθῆκαι versibus conpositae fuisse disertim notantur, cf. s. Νίκανδρος, Πίνδαρος, sim. (cf. supra p. 423).

cum conposuit ὑποθήκας a Suida in fine conmemoratas, deinde elegias (p. 522), quibus omnia quae non ad Cyrnum pertinent conprehendit, tum γνωμολογίαν πρὸς Κύρνον, quam olim ὑποθήκας (πρὸς Κύρνον) inscriptam fuisse statuit. Qua in enarratione paria disparibus admixta esse liquet, sed singula refellere nunc displicet.

Attamen ut huius rei summam conplectar: Si verum expiscari volumus, Suidae notationem totam considerare debemus neque in duas particulas discerpere. Quam ob causam sagacissimo homini hoc minime probare contigit, Alexandrinis grammaticis non iam carmina integra sed syllogam dumtaxat γνωμῶν innotuisse. Itaque ne id quidem quo praecipue intendit demonstravit, poematum conlectionem quam hodie manibus terimus inter Platonis Ptolemaeique aetatem conpositam esse (cf. etiam H. Schneidewinum l. l. 32 sq.).

Totam vero Suidae glossam, non unam tantum partem — cuius pristinam originem Nietzschius (p. 200) perspexit, qui etiam ex Plat. Legg. I, p. 630 A iure conlegit Suidae de Theognidis patria testimonium non Didymo (quod parum recte Schmidtius [Didym. p. 394] sumpserat), sed grammatico vetustiori, i. e. Alexandrinorum aequali, posse adscribi — ex Alexandrinorum catalogis oriundam esse nemo diffitebitur. His denique pauca subiungere placet. Welckerus[19a] (Proll. in Theogn. p. LXIII) quidem tres titulos a Suida adlatos (γνώμας, γνωμολογίαν, παραινέσεις) unum eundemque librum fuisse contendit, sed aliter equidem sentio, cum universam operis Theognidei inscriptionem γνώμας δι' ἐλεγείας fuisse arbitrer, quarum partes fuerint et γνωμολογία πρὸς Κύρνον (καὶ[19b]) πρὸς Κύρνον.. γνωμολογίαν) et ceterae Suidae manu coartatae ὑποθῆκαι (καὶ ἑτέρας ὑ.).[20])

[19a]) Cui nuperrime adstipulatus est J. Sitzlerus (Theognidis Reliqu. Heidelb. 1880, p. 51). — [19b]) Nam particulae καὶ — καί divisionem efficiunt, cf. s. Πανόλβιος, s. Κόριννα, al. — [20]) Quibus dubitanter addo tabulam s. Θεόκριτος exhibitam, quam ad vetustiores fontes redire inde elucet, quod Theocriti carminum tertia eaque novissima sylloga, cuius auctorem Ahrensius (Philol. XXXIII, 400 sq., 579 sq.) Eratosthenem quendam (ca. a. 400 p. Chr.) sagaciter exploravit (sed vide nunc Vahlenum Ind. aest. lectt. Berol. 1876, p. 5), aliquot a Suida enumerata poemata non conplectitur diversamque etiam prodit ordinandi rationem (p. 582 sq.). Idem Ahrensius Suidae indicem satis vetustum esse disertis verbis monuit (p. 586, ubi de mutua inter metaphrasin Marianam Theocriteaque carmina ratione longe probabiliora quam Haulerus [de Theocr. vit. et carm. Friburg. 1855, p. 31 sq.] proposuit). Atque ipse suspicor hanc tabulam niti Alexandrinorum catalogis, quorum quidem aetate nondum conlecta illa vel in unum corpus consociata erant (cf. Ahrens. 391 sq., Haul. 31 sq.). In tabula vero ipsa hunc fere ordinem animadvertisse mihi videor, ut primo loco ponerentur carmina bucolica, secundo duo peculiares ἐλεγείων tituli, tertio ὕμνοι, Ἡρωῖναι, ἐπικήδεια, cum argumenti similitudine omnia inter semet conexa tum maxime epico generi adfinia, ultimo μέλη, ἐλεγεῖαι, ἴαμβοι, ἐπιγράμματα inter lyrica poemata referenda (cf. Theocr. carm. ed. Fritzsche, p. 6 adn., Bergk. Mus. Rh. VI (1838), 23 sq.), id quod hic pluribus explicare longum est. Sed prodere videtur haec tabula ordinem argumento carminum adpositum, licet mediocriter dilucidum Suidaeque describentis socordia conturbatum.

Quibus expositis ceterorum lyricorum tabulae iam brevius possunt percenseri. Ordinem nimirum ex argumento librorum institutum pariter deprehendimus in indice s. Cιμωνίδηc Ἰουλιήτηc˙ . . καὶ γέγραπται αὐτῷ Δωρίδι διαλέκτῳ ἡ Καμβύcου καὶ Δαρείου βαcιλεία καὶ Ξέρξου ναυμαχία˙ καὶ ἡ ἐπ' Ἀρτεμιcίῳ ναυμαχία δι' ἐλεγείαc, ἡ δ' ἐν Cαλαμῖνι μελικῶc, θρῆνοι, ἐγκώμια, ἐπιγράμματα, παιᾶνεc, καὶ τραγῳδίαι καὶ ἄλλα. Tamen non satis iustam causam dispicio, cur Bergkius (P. L. G. [3] p. 1145) una cum Bernhardyo elegiae ἡ Καμβύcου — βαcιλεία nomen errore Suidae natum esse opinetur, cum Simonidis aetate Cambyses et Dareus regnaverint. Verba deinde καὶ ἡ ἐπ' Ἀρτεμιcίῳ ναυμαχία ex Eudociae violeto volgo supplent (cf. Bergk. l. l.), sed nescio an magis conmendetur Wachsmuthii coniectura locum sic reconcinnantis 'Ξέρξου ναυμαχίαι, ἡ ἐπ' Ἀρτ. μελικῶc, ἡ δ' ἐν Cαλ. δι' ἐλεγείαc': recte enim Bergkius vocum μελικῶc et δι' ἐλεγείαc sedem hunc in modum permutandam esse vidit, cum Bernhardyi (vid. ad Suid.) sententia prorsus reicula sit. At idem iure titulum τραγῳδίαι in suspitionem vocavit tanquam mero conmento enatum.

Sed ad litterarum ordinem recensentur scripta s. Παρθένιοc.. ἐλεγειοποιὸc καὶ μέτρων διαφόρων ποιητήc . . ἔγραψε δι' ἐλεγείαc˙ (sic optime emendavit Schneiderus Call. II, 32, cf. Wachsm. Symb. 152, et not. 44, cum volgo exhibeant δ' ἐλεγείαc) *Ἀ*φροδίτην, *Ἀ*ρήτηc ἐπικήδειον, *Ἀ*ρήτηc ἐγκώμιον (de quibus cf. Meinek. Anal. Alex. p. 259 sq.), καὶ ἄλλα πολλά, quibus plenioris tabulae ex bibliothecae catalogo petitae initium servatum est. Videtur autem qui tabulam confecit singulas elegias primum enumerasse κατὰ cτοιχεῖον dispositas, dein cetera poetae carmina (velut Ἐρωτικά), quae Suidas describere noluit. Accedimus ad glossam s. Μίμνερμοc, quae indice sane orbata haec verba in calce praebet: ἔγραψε βιβλία ταῦτα πολλά: quae quamvis difficillima plerisque visa sint, res tamen ipsa perspicua est (cf. Westerm. Βιογραφ. p. 110, qui varias opiniones congessit). Nimirum largam tabulam liquido indicant, quam Suidas sive librarii eius describere noluerint. Dionysium vero, credo etiam Hesychium, plenum indicem exhibuisse nec non verba βιβλία ταῦτα (πολλά) dedisse mihi equidem persuasum est: quae cum tabula non adiecta haud satis apta viderentur, in Eudociae violario Suidaeque aliquot libris vox ταῦτα prudenter omissa est. Sed displicet utique Volkmanni (II, 727 sq.) explicatio ex vita Mimnermi carminibus praefixa talia fluxisse censentis; quae si vera esset, dici certe debuit: ἔγραψε βιβλία ταῦτα καὶ ἄλλα πολλά. Nec felicius Bergkio res cessit verba illa Suidae αὐτοcχεδίαcμα esse simpliciter statuenti; ceterorum autem opiniones iam a Volkmanno confutatas silentio premere praestat. Nuper denique Guil. Meyerus (Mus. Rh. n. XXIII, 691) τοιαῦτα suasit eamque vocem ad ἐμμελὲc καὶ λιγύ referri iussit, quam coniecturam ideo reprobo, quod duo enuntiata tali nexu copulare non adsolet Suidas (at paulo aliter res se habet in gl. Εὔδοξοc . .

καὶ ἔςχε πρὸς ἀςτρολογίαν . . ἔγραψέ τε πλεῖςτα τοῦ εἴδους τούτου).

Progredimur ad tabulam quae extat s. Cαπφώ[21]) . . ἔγραψε μελῶν λυρικῶν βιβλία θ'. καὶ πρώτη πλῆκτρον εὗρεν. ἔγραψε δὲ καὶ ἐπιγράμματα καὶ ἐλεγεῖα καὶ ἰάμβους καὶ μονῳδίας, ubi verba μελῶν λυρικῶν βιβλία θ', quibus quot libris constiterint μέλη disertum profertur testimonium, πίναξιν adsignare nemo dubitabit. Quaeritur autem num relicua mentione plectri a Sapphone inventi interiecta ex eodem limpido fonte promanaverint (cf. A. Schoenium Symb. Phil. Bonn. p. 760). Nego, quamvis litterarum seriem teneant, eidemque illa auctori adtribuo, cui verba καὶ πρώτη πλῆκτρον εὗρεν debentur. Volkmannus contra (II, 728) utriusque testimonii eam esse rationem statuit, ut primo loco nobilissimum Sapphonis opus, secundo cetera minus celebrata vel citius oblitterata (ἔγραψε δὲ καὶ . .) exhibeantur. Quod fieri sane potuit, nec strenue Volkmanni rationi perbelle excogitatae obloquor; tamen si utrumque eodem ex fonte fluxisse verum est, cur tandem ab Hesychio verba καὶ πρῶτον κ. τ. λ. interposita esse censebimus? — Sed Volkmanno (l. l.) prorsus refragor eadem ratione explicanti, quod s. Φιλόξενος primum conmemorentur διθύραμβοι κδ', dein de vita eius paucis enarratis ad operis alicuius mentionem iterum deflectat oratio idque his verbis: ἔγραψε δὲ μελικῶς τὴν γενεαλογίαν τῶν Αἰακιδῶν. Satis enim dilucidum est totam glossam duabus particulis contineri, quarum alteram (usque ad οὗτος ἀνδραποδιςθέντων) auctori pinacographico, uberiorem alteram Hermippo Berytio (cf. Wachsmuth. l. l. 142) vindico. Sequitur tabula s. Τιμόθεος[22a]) exhibita, quae quamvis truncata pristinae tamen

---

[21]) Qua in glossa diversorum auctorum testimonia in unum conglutinata sunt. Sapphonis autem vitae enarrandae solidum fundamentum grammatici Alexandrini iecerunt, a quibus nomen patris matris patriae, aetas, opera denotata fuisse videntur (cf. Schoen. l. l. 741). His accedunt quae ab aliorum studiis sive inventis repetenda sunt, velut quae de nominibus patris fratrum familiarium discipulorum, vita, rebus poetriae proferuntur, offensionis illa haud inmunia (cf. Schoen. 759, qui quidem originem verborum ἐγαμήθη — Εὐνεῖκα ad mediam revocat comoediam); cetera referenda videntur ad Chamaeleontem (περὶ Cαπφοῦς Ath. VIII, 559 c), sive ad Calliam (ὁ τὴν Cαπφὼ καὶ Ἀλκαῖον ἐξηγηςάμενος Strab. XIII, p. 618). — [22a]) Hic de Timothei temporibus paucis exponendum esse videtur. Haec enim apud Suidam leguntur: Τιμόθεος . . ἦν δ' ἐπὶ τῶν Εὐριπίδου χρόνων, καθ' οὓς καὶ Φίλιππος ὁ Μακεδὼν ἐβαςίλευεν: mirum profecto ςυγχρονιςμόν inter Euripidem et Philippum posuit Suidas, nec difficile erat cum Reinesio vocem Φίλιππος in Ἀρχέλαος conrigere. Quod tamen cum Rohdio (Mus. Rh. n. XXXIII 192, n. 1) inprobo, cum tale erratum librariorum oscitantiae inputari nequeat. Sed verborum illorum patrocinium Rohdius (p. 191 sq.) suscepit eaque sic explicavit, ut in vacuo temporum interstitio, quod inter extremam ἐποχὴν τῶν Πελοποννηςιακῶν et Philippi regnum intervenit, huius regnum luminis instar fuisse sumpserit, quod Suidae vel rectius eius auctoribus in temporibus definiendis praefulserit, conl. s. Καρκῖνος . . ἤκμαζε κατὰ τὴν ρ' ὀλυμπιάδα (cf. Meinek. F. C. G. I, 507) πρὸ τῆς Φιλίππου βαςιλείας; s.

originis etiamnum prae se fert vestigia: .. γράψας δι' ἐπῶν νόμους μουσικοὺς ιθ', προοίμια λς' (ex Stephano Byzantio s. Μίλητος, qui Philone Byblio auctore Timotheo ιη' βιβλία νόμων κιθαρῳδικῶν et προνόμια ἄλλων (?) χίλια adscripsit, nihil lucramur), Ἄρτεμιν, διασκευάς η', ἐγκώμια, Πέρσας ἢ Ναύπλιον, Φινείδας, Λαέρτην, διθυράμβους ιη', ὕμνους κα', καὶ ἄλλα τινά, in quibus et generales et peculiares titulos una serie conprehensos esse Bergkius (P. L. G.[3] p. 1268) recte perspexit, cum Ἄρτεμις hymnus fuerit (vide Alex. Aetol. ap. Macrob. Sat. V, 22), Persae νόμος (Paus. VIII, 50, 3), Laertes et Phinidae vel ad νόμους vel ad διθυράμβους

Ἔφορος .. ὡς καὶ πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας εἶναι: unde conlegisse videtur tum quoque cum certa ἐποχή indicari potuit Philippi aetatem termini vicibus functam esse. Ea vero exempla num ad pravam istam chronologiam tuendam quicquam valent? Minime, opinor. Nec mihi quidem ratio illa satis fecit, qua Rohdius intellexit Ephori συγχρονισμόν. Vocabulo ἦν (δ' ἐπὶ τῆς ϙγ' ὀλυμπ.) nil aliud nisi annus natalis significatur; ac quamvis locutio ἦν pro γέγονε (ἐγένετο) volgo non adhibita sit, Suidae tamen inscitiae eiusmodi usum tribui posse Rohdio (p. 191) largior: Ephori enim 'historiam' usque ad vicesimum Philippi regni annum (340) quo Perinthum oppugnavit pertinuisse ex Diodoro (XVI', 76) adparet. Ergo Ephori ἀκμή in olymp. 93. poni neqnit. Sed quid sibi volunt verba 'ὡς καὶ πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας εἶναι'? Non dubium est quin de Ephori aetate duo testimonia praesto fuerint Hesychio: 1) annus natalis, 2) ἀκμή sive omnino aetas eius ad tempora Philippi relata, quoniam E. res sub imperio eius per viginti annos gestas descripsit. Quibus testimoniis usus Suidas ait: 'natus est Olymp. 93, ita ut etiam ante Philippi regnum fuerit' (i. e. floruerit), non solum igitur sub regno Philippi ipso. Quare in promptu fuit talem Ephori συγχρονισμόν constituere. — Sed in altera notatione s. v. Καρκῖνος Rohdianam rationem conprobo, etiamsi ne hoc quidem exemplo Suidae istae ineptiae defendi queant. Quid enim? In utraque vita per Philippi imperium terminus denotatur, ante quem scriptores illi fuerunt. Num hoc convenit locutioni: 'floruit Th. Euripidis temporibus, quibus (vel 'circa quae') etiam Philippus regnavit?' Si Suidas scripsisset 'ὡς πρὸ τῆς Φ. β. εἶναι', sive etiam 'καθ' οὓς οὔπω Φίλιππος ἐβασίλευεν', haec verba forsitan pateremur. — Sed nunc Rohdius ipse hanc totam opinionem abiecisse videtur (cf. Mus. Rh. n. XXXIV, 573, n. 2): inde nimirum quod Timotheus sub Philippi imperio vixisse dicatur cum Bernhardyo conlegit Suidam (s. Hesychium) hic plane alium Timotheum — quem auletam fuisse et Philippi Alexandrique aetate floruisse autumat — perperam inmiscuisse. Quae coniectura quamvis acutissime excogitata ab omni tamen probabilitate abhorret (cf. n. 22, b). Omnia nimirum apte procedent, si leni transpositione cum Wachsmuthio 'καὶ καθ' οὓς Φίλιππος' restituerimus; fuit Euripidis aequalis T., sed vixit etiam regnante Philippo — id quod verum est: adtigisse eum certe testatur marmor Parium epoch. 76. Tim. nonagenarium (septem etiam plus annos tribuit ei Suidas); cumque in Macedonia mortem obierit (teste Philone Byblio ap. Steph. Byz. s. Μίλητος), extrema aetate in aula regia Pellaea vixisse eum veri simile est. Quae coniectura multo sane probabilior est quam quod ego olim suspicabar, Suidam ipsum verba illa dormitanter adiecisse, ita quidem ut mutuae inter Euripidem regesque Macedonum necessitudinis haud inmemor nobilissimum ante Alexandrum regem Philippum pro vero Archelao substituerit.

(cf. Arist. Poet. 2) pertinuerint. Idem porro cum Bipparto (conl. Athen. VIII, 338 a) Ναυτίλον ἢ Ναύπλιον redintegravit, denique plenum titulum Σεμέλης ὠδίς (Dio Chrys. 77, 768) fuisse coniecit. Qua re pensitata in Alexandrinorum catalogis Timothei carmina secundum argumentum disposita, singulorum autem librorum inscriptiones ex litterarum ordine — cuius vestigia in Suidae tabula non latitant — recensitas fuisse credo, quas Suidas eiusve auctor non integras (καὶ ἄλλα τινά) neque sedulo descripserint.[22b])

Ceteri lyricorum carminum indices partim eandem atque quos supra percensuimus prae se ferunt indolem, partim inter semet ipsos id conmune habent, quod librorum seu versuum numerus his illis de metro dialectove notulis adnexis distincte indicatur, quo fides horum testimoniorum non nihil firmatur[23]), velut s. Ἀλκμάν .. ἔγραψε βιβλία ϛ′ μέλη .. κέρχηται δὲ Δωρίδι διαλέκτῳ .., s. Ἀνακρέων, qua in glossa vetustiorem et sequiorem auctorem dignoscere possumus; verba enim βίος δ᾽ ἦν — Ἀνακρεόντεια manifesto recentioris hominis sunt (cf. Welcker. Praef. Theogn. LXXIV), cum anteriora ἔγραψεν ἐλεγεῖα καὶ ἰάμβους Ἰάδι πάντα διαλέκτῳ priscam redoleant originem; s. Ἴβυκος .. ἔστι δ᾽ αὐτοῦ τὰ βιβλία ζ′ τῇ Δωρίδι διαλέκτῳ; s. Κόριννα (de Corinnarum quae feruntur nominibus adi Welckerum in Creuzer. Melet. crit. II, 16) .. ἔγραψε βιβλία ε′, (hic nimirum velim interpungas) καὶ ἐπιγράμματα καὶ νόμους λυρικούς; s. Στησίχορος .. ἔστιν αὐτῷ τὰ ποιήματα Δωρίδι διαλέκτῳ ἐν βιβλίοις κϛ′; s. Τυρταῖος .. ἔγραψε πολιτείαν Λακεδαιμονίοις καὶ ὑποθήκας δι᾽ ἐλεγείας καὶ μέλη πολεμιστήρια, βιβλία ε′.

Haec de lyricorum notationibus satis sunto; quae praeterea in eo genere conlegi, in praesens mittere placuit.

[22b]) Sagacissime nuper hac de tabula Stephani Byz. (s. Μίλητος) indiculo simul adhibito disputavit Rohdius (l. l. 572, n. 2), qui Timothei νόμους (una cum titulis peculiaribus) et διθυράμβους, itemque προοίμια et ὕμνους eadem carmina fuisse ratus Suidam duo Timothei πίνακας conflasse coniecit, titulos autem διασκευαὶ ἢ et ἐγκώμια Timocli auletae (vid. not. 22, a) adsignavit. Quae omnia quam incerta sint ipse fatetur; sed omnino non ausim Stephani tabula nixus — quam mutilam esse credo — emendare Suidianam: neque enim hi duo indices artius cohaerere mihi videntur. — [23]) Sed noli titulo confidere quem Suidas s. Ἀρίων exhibet, προοίμια εἰς ἔπη ‚β, quem numerum mere effictum esse Hillerus (Mus. Rh. l. l. 522) perspexit. Praeterea Periandri carminis notitia (ὑποθῆκαι εἰς τὸν ἀνθρώπειον βίον ἔπη ‚β, cf. Laert. I, 97) ob singularem versuum numerum admodum suspecta ex Lobonis Argivi opere (περὶ ποιητῶν) fluxisse videtur (cf. Hiller. l. l. p. 520, 524 sq.). Nec minus in tabula s. Πιττακός titulus ἐλεγεῖα ἔπη χ′ in gravissimam cadit offensionem.

Caput V.

De Philonis Byblii auctoritate.

Postquam Dionysii Halicarnassensis tanquam primarii Hesychii in vitis poetarum et musicorum ducis auctoritatem fidemque exploravimus, nova nunc existit eaque subdifficilis quaestio, quibus ex fontibus Hesychius oratorum et sophistarum, grammaticorum, historicorum, philosophorum notationes, in his cum maxime librorum tabulas hauserit. Ac primum quidem eorum hominum inlustrium qui inde a primo a. Chr. saeculo exeunte usque ad Hadriani aetatem floruerunt vitas temporum nota distinctas intentius considerare in animo est.

In recensendo grammaticorum grege Hesychium luculento auctore sive auctoribus Hadriani aetatis usum esse iam Wachsmuthius (Symb. 144 sq.) probabili ratiocinatione effecit: inter quos *Philonem Byblium* prae ceteris enitere perspexit, tamen adcuratiorem huius auctoritatis investigationem aliis relinquere maluit. Nec vero eundem id fugit (p. 145), observationem illam non solum intra grammaticorum fines contineri, sed multo latius patere. Quod ut palam fiat, gravissima quaeque exempla quorum communis fere indoles singularem sibi vindicat auctorem in uno conspectu ponam. Qua in re quatenus licebit sequar ordinem chronologicum.

s. Τιμαγένης .. Ἀλεξανδρεύς, ῥήτωρ .. ὃς ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου αἰχμάλωτος ἀχθεὶς ἐν Ῥώμῃ ὑπὸ τοῦ Γαβινίου ἐξωνήθη .. καὶ ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τ' αὐτοῦ Πομπηίου καὶ μετ' αὐτόν, ἐπί τε Καίσαρος τοῦ Αὐγούστου καὶ μετέπειτα ἅμα Κεκιλίῳ .. (cf. s. Πωλίων ὁ Ἀσίνιος).

s. Τυραννίων ὁ νεώτερος .. μαθητὴς Τυραννίωνος τοῦ πρεσβυτέρου .. αἰχμάλωτος δὲ γενόμενος καὶ αὐτὸς ἐπὶ τοῦ πολέμου Ἀντωνίου καὶ Καίσαρος .. ὠνήθη .. ἐλευθερωθεὶς .. ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ .., conl. etiam s. Τυραννίων Ἀμισηνός.

s. Διοσκορίδης .. ἰατρός, συνῆν δὲ Κλεοπάτρᾳ ἐπ' Ἀντωνίου (cf. s. Κάστωρ Ῥόδιος et s. Ἰόβας).

s. Διόδωρος Σικελιώτης, ἱστορικός .. γέγονε δ' ἐπὶ τῶν χρόνων Αὐγούστου Καίσαρος καὶ ἐπάνω.

s. Θέων Ἀλεξανδρεύς, φιλόσοφος, γεγονὼς ἐπ' Αὐγούστου μετ' Ἄρειον.

(Cf. etiam s. Φλέγων Τραλλιανός, ἀπελεύθερος τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος, οἱ δ' Ἀδριανοῦ φασιν, ἱστορικός.)

s. Διονύσιος .. Ἁλικαρνασσεύς, ῥήτωρ καὶ παντοίως λόγιος. γέγονε δ' ἐπὶ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, πρόγονος τοῦ ἐπ' Ἀδριανοῦ γεγονότος Ἀττικιστοῦ.

s. Ἑρμαγόρας Τήμνου .. ἐπαίδευσε δ' οὗτος μετὰ Κεκιλίου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Αὐγούστου καὶ τελευτᾷ πόρρω τῆς ἡλικίας.

s. Κεκίλιος . . ῥήτωρ, σοφιστεύσας ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος καὶ ἕως Ἀδριανοῦ (hoc fidem excedit. Locum non magis integrum quam emendatum esse ait Bernhardyus. Quare nescio an verba sic reconcinnanda sint: καὶ εἷς τῶν ἕως Ἀδριανοῦ, cl. s. Διονύσιος ὁ Γλαύκου et s. Ἀρχίβιος, cf. praeterea Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 175 med.), καὶ ἀπὸ δούλων, ὥς τινες ἱστορήκασιν.

s. Ποτάμων Ἀλεξανδρεύς, φιλόσοφος, γεγονὼς πρὸ Αὐγούστου καὶ μετ' αὐτόν (quae verba extrema alii aliter conrexerunt, vid. Bernh. ad Suid. et Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 166, not. 1) nuper coniecit κατ' αὐτόν. Sed illa non tam absona sunt ut mutatione indigeant. Nam si Potamon et ante Augustum et post eum floruit, hunc etiam sub Augusti imperio vixisse sua sponte intellegitur); cf. s. Λεσβῶναξ . . φιλόσοφος, γεγονὼς ἐπ' Αὐγούστου (?), πατὴρ Ποτάμωνος τοῦ φιλοσόφου (qua de glossa vide egregie disputantem Rohdium d. griech. Roman. p. 342, not.).

s. Νικόλαος Δαμασκηνός, γνώριμος Ἡρώδου . . καὶ Αὐγούστου Καίσαρος (ceterum cf. Mus. Rh. n. XXXV, 63 sq.).

s. Διονύσιος ὁ περιηγητής . . γέγονε δ' ἐπὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν χρόνων μετ' Αὔγουστον Καίσαρα, ἢ ἐπ' αὐτοῦ, οἱ δὲ κατὰ Νέρωνα τὸν Ῥωμαίων βασιλέα φασὶ γενέσθαι.

s. Στράβων Ἀμασεύς, φιλόσοφος, γέγονεν ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος.

s. Θεόδωρος Γαδαρεύς, σοφιστής, ἀπὸ δούλων, διδάσκαλος γεγονὼς Τιβερίου Καίσαρος. ἐπὶ τοῦ δὲ (sic enim conrigendum est pro ἐπεὶ δέ, vid. Mus. Rh. l. l. 66) συνεκρίθη περὶ σοφιστικῆς ἀγωνισάμενος Ποτάμωνι καὶ Ἀντιπάτρῳ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ. ἐπ' Ἀδριανοῦ Καίσαρος ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀντώνιος συγκλητικὸς ἐγένετο.

s. Ποτάμων Μυτιληναῖος . . ῥήτωρ . . ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Τιβερίου κ. τ. λ.

s. Ἀπίων ὁ Πλειστονίκου . . Αἰγύπτιος, κατὰ δ' Ἑλικώνιον Κρής, γραμματικός, μαθητὴς Ἀπολλωνίου τοῦ Ἀρχιβίου . . ἐπαίδευσε δ' ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος καὶ Κλαυδίου ἐν Ῥώμῃ. ἦν δὲ διάδοχος Θέωνος τοῦ γραμματικοῦ καὶ σύγχρονος Διονυσίου τοῦ Ἁλικ.

s. Σαλούστιος . . ἰατρός, ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος.

s. Πολύαινος Σαρδιανός, σοφιστής, γεγονὼς ἐπὶ τοῦ πρώτου Καίσαρος Γαΐου (sed cf. nunc Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 620).

s. Ἀντέρως ὁ καὶ Ἀπολλώνιος, γραμματικός, παιδεύσας ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Κλαυδίου τοῦ μετὰ Γάϊον βασιλεύσαντος, ἐφ' οὗπερ καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς γέγονεν, ἀκουστὴς δ' ἦν Ἀπίωνος τοῦ Μόχθου.

s. Ἡρακλείδης Ποντικός . . γραμματικός . . εἰς Ῥώμην δὲ κομίσας καὶ τοῦ Ἄπερος καταφανεὶς (fortasse κατεκφανείς sive κατεκφανής, cf. s. Λούπερκος· . . . κατευδοκιμεῖ Ἡρωδιανοῦ) κατέμεινε σχολαρχῶν ἐν αὐτῇ ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Νέρωνος.

s. Ἀπολλώνιος Τυανεύς, φιλόσοφος . . ἤκμαζε μὲν ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Γαΐου καὶ Νέρωνος καὶ μέχρι Νέρβα, ἐφ' οὗ καὶ μετήλλαξεν (cf. etiam s. Ἀππιανός et s. Δίκτυς).

s. Δίδυμος ὁ τοῦ Ἡρακλείδου, γραμματικός, ὃς διέτριψε παρὰ Νέρωνι . .

s. Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς, ὁ Γλαύκου υἱός, γραμματικός, ὅστις ἀπὸ Νέρωνος *συνῆν καὶ τοῖς μέχρι Τραιανοῦ* (Rohdius l. l. 165, n. 1 ante συνῆν addidit ἦν καί (cl. s. Ἀριστόξενος), ipse olim inserui ὤν. Sed utraque scriptura multo probabilior est Wachsmuthii emendatio 'ὃς τοῖς ἀπὸ Ν. συνῆν', praesertim cum in his 'biographicis' nomini hominis litterati plenaeque eius significationi relicua memoria soleat adnecti pronomine ὅς neque ὅστις[24])), καὶ τῶν βιβλιοθηκῶν προὔστη . . ἦν δὲ καὶ διδάσκαλος Παρθενίου τοῦ γραμματικοῦ, μαθητὴς δὲ Χαιρήμονος τοῦ φιλοσόφου, ὃν καὶ διεδέξατο . .

s. Ἐπαφρόδιτος Χαιρωνεύς, γραμματικός, Ἀρχίου . . θρεπτός . . καὶ παιδεύσας . . ἐν Ῥώμῃ διέπρεψεν ἐπὶ Νέρωνος καὶ μέχρι Νέρβα, καθ' ὃν χρόνον *καὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἡφαιστίωνος ἦν καὶ ἄλλοι συχνοὶ τῶν ὀνομαστῶν ἐν παιδείᾳ* κ. τ. λ.

s. Ἀλέξανδρος Αἰγαῖος, φιλόσοφος . . διδάσκαλος Νέρωνος τοῦ βασιλέως, ἅμα Χαιρήμονι . .

s. Κορνοῦτος Λεπτίτης, φιλόσοφος, γεγονὼς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος καὶ πρὸς αὐτοῦ ἀναιρεθεὶς σὺν τῷ Μουσωνίῳ.

s. Μουσώνιος . . Τυρρηνὸς . . διαλεκτικὸς φιλόσοφος καὶ στωικός, γεγονὼς ἐπὶ Νέρωνος, *γνώριμος δ' Ἀπολλωνίου τοῦ Τυανέως καὶ ἄλλων πολλῶν* . .

s. Ἀκουσίλαος Ἀθηναῖος ὢν . . οὗτος ἠράσθη λόγων ἐν Ἀθήναις καὶ ἐλθὼν εἰς Ῥώμην ἐπὶ Γάλβα διέτριψεν (an διέπρεψεν?) ἐν λόγοις ῥητορικοῖς.

s. Σκοπελιανὸς Κλαζομένιος, σοφιστής, γεγονὼς ἐπὶ Νέρβα . . συγχρονῶν Ἀπολλωνίῳ τῷ Τυανεῖ.

s. Πλούταρχος Χαιρωνεύς . . γεγονὼς ἐπὶ τῶν Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος χρόνων καὶ ἔτι πρόσθεν (cf. etiam s. Ἰάσων Ἀργεῖος).

s. Ἀριστοκλῆς . . σοφιστής, γεγονὼς ἐπί τε Τραϊανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ.

s. Δίων ὁ Πασικράτους . . διέτρεψε τὸ πλεῖστον παρὰ Τραϊανῷ . .

s. Ἀρχίβιος Πτολεμαίου . . *γραμματικὸς τῶν ἕως Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος ἐν Ῥώμῃ παιδευσάντων.*

---

[24]) Novit tamen exempla contraria haece: s. Ἀντισθένης . . φιλόσοφος Σωκρατικός, ὅστις περιπατητικὸς ἐκλήθη; s. Ἀριστογείτων . . ῥήτωρ . . ὅστις ἐπεκαλεῖτο Κύων; bis in talibus ὅσπερ adhibitum est: s. Ἀρίστιππος . . φιλόσοφος . . ἀφ' οὗπερ ἡ Κυρηναϊκὴ . . αἵρεσις ἤρξατο; s. Καρνεάδης . . φιλόσοφος, ἀφ' οὗπερ ἡ νέα ἀκαδημία ἤρξατο. Opinatur vero talibus fortasse interdum fontem reddi pariter ac vix casu factum sit, quod quater 'οἵτινες' usurpetur ad significandos VII tragicos, cf. s. Λυκόφρων, Σοφοκλῆς Ἀθηναῖος, Σωσιφάνης, Φιλίσκος.

s. Πτολεμαῖος . . γραμματικός, ὁ τοῦ Ἡφαιςτίωνος, γεγονὼς ἐπί τε Τραϊανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ τῶν αὐτοκρατόρων.

s. Ἀρχιγένης . . ἐπὶ Τραϊανοῦ ἰατρεύςας ἐν Ῥώμῃ.

s. Ῥοῦφος Ἐφέςιος, ἰατρός . . γεγονὼς ἐπὶ Τραϊανοῦ ςὺν Κρίτωνι (vid. Rohdium l. l. 180, n. 4).

s. Cωρανός . . Ἐφέςιος, ἰατρός . . καὶ ἐν Ῥώμῃ δ' ἰατρεύςας ἐπὶ Τραϊανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ τῶν βαςιλέων, βιβλία τε ςυντάξας πλεῖςτα καὶ κάλλιςτα.

s. Μεςομήδης Κρής, λυρικός, γεγονὼς ἐπὶ τῶν Ἀδριανοῦ χρόνων, ἀπελεύθερος αὐτοῦ καὶ ἐντοῖς μάλιςτα φίλος (vel rectius φίλοις).

s. Κεφαλίων ἢ Κεφάλων . . ῥήτωρ καὶ ἱςτορικός, γεγονὼς ἐπ' Ἀδριανοῦ.

s. Ζηνόβιος ςοφιςτής, παιδεύςας ἐν Ῥώμῃ ἐπ' Ἀδριανοῦ Καίςαρος.

s. Λολλιανὸς Ἐφέςιος, ςοφιςτὴς . . γεγονὼς ἐπ' Ἀδριανοῦ τοῦ Καίςαρος.

s. Παῦλος Τύριος, ῥήτωρ, γεγονὼς ***κατὰ Φίλωνα τὸν Βύβλιον, ὃς ἐπ' Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως πρεσβεύσας μητρόπολιν τὴν Τύρον ἐποίησεν.***

s. Διογενειανὸς Ἡρακλείας τῆς Πόντου, γραμματικός, γεγονὼς ἐπ' Ἀδριανοῦ τοῦ βαςιλέως.

s. Διογενειανὸς Ἡρακλείας ἑτέρας, οὐ τῆς Πόντου, γεγονὼς καὶ αὐτὸς ἐπ' Ἀδριανοῦ τοῦ βαςιλέως. Ceterum Suidas perperam res unius Diogeniani in duas glossas dissecuit, vide Rohdium l. l. 180, n. 3, Flachium Suid. et Eudoc. p. 66, n. 1 (cf. etiam Mus. Rh. n. XXXV, 62).

s. Διονύςιος Ἁλικαρναςςεύς, γεγονὼς ἐπ' Ἀδριανοῦ Καίςαρος, ςοφιςτὴς καὶ μουςικὸς κληθείς.

s. Νικάνωρ . . γραμματικός, γεγονὼς ἐπ' Ἀδριανοῦ τοῦ Καίςαρος, ὅτε καὶ Ἕρμιππος ὁ Βηρύτιος.

s. Πωλίων Ἀλεξανδρεύς . . φιλόςοφος . . γεγονὼς ἐπ' Ἀδριανοῦ (ceterum cf. nunc H. Peterum de variis eiusdem nominis scriptoribus disserentem in Fleckeiseni Annal. phil. t. CXX [1879], 420 sq., de cuius placitis mox alibi iudicium faciam).

s. Διόδωρος ὁ Οὐαλέριος ἐπικληθείς, φιλόςοφος, γεγονὼς ἐπὶ τοῦ Καίςαρος Ἀδριανοῦ.

Haec omnia testimonia qui adcurate consideraverit singularem eorum naturam facile intelleget. Ac prae ceteris enitent notationes optima auctoritate praeditae, quae sunt de vita servorum libertorumve qui litteris inclaruere (s. Ἐπαφρόδιτος, Θεόδωρος, Κεκίλιος, Μεςομήδης, Τιμαγένης, Τυραννίων). In relicuis vero exemplis diligenter enotatum videmus, quo imperatore sive quibus imperatoribus (cf. s. Ἀπίων, Ἀριςτοκλῆς, Ἀρχίβιος, Ἀπολλώνιος Τυανεύς, Διονύςιος Ἀλεξ., Ἐπαφρόδιτος, Ἡρακλείδης, Κεκίλιος, Πτολεμαῖος ὁ Ἡφαιςτίωνος, Cωρανός, al.) singuli floruerint, quale studium idque Romae potissimum exercuerint (ςοφιςτεύςας vel παιδεύςας ἐν Ῥώμῃ

similiave, velut s. Κεκίλιος, Ποτάμων Μυτιληναῖος, Πωλίων ὁ Ἀσίνιος, Ἀντέρως, Ἀπίων, Ἑρμαγόρας, Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης, al.), quibuscum hominibus inlustribus una fuerint quosque praeceptores sive discipulos habuerint (s. Ἀλέξανδρος Αἰγαῖος, Ἀντέρως, Ἀπίων, Διονύσιος Ἀλεξ., Ἐπαφρόδιτος, Ἑρμαγόρας, Θεόδωρος, Κορνοῦτος, Μουσώνιος, Νικάνωρ, Παῦλος Τύριος, Ῥοῦφος, Σκοπελιανός, al.). Quibus adprime convenit quod horum scriptorum vita copiosissime saepe ne minutiis quidem contemptis narratur (s. Ἀπολλώνιος Τυανεύς, Διονύσιος Ἀλεξ., Διογενειανός, Δίων ὁ Πασικράτους, Ἐπαφρόδιτος, Ἡρακλείδης Ποντικός, Μουσώνιος, Πλούταρχος, Ποτάμων Μυτ., Τυραννίων ὁ νεώτερος).

Haec omnia indicia salutaria sibi invicem liquido produnt splendidum Hadriani aetatis auctorem. Sed rem paulo intentius perquiramus. Inspice modo exempla s. Ἀρχίβιος, Διονύσιος Ἀλεξ., Μουσώνιος, Ἐπαφρόδιτος (διέπρεψεν ἐπὶ Νέρωνος καὶ μέχρι Νέρβα, καθ' ὃν χρόνον καὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἡφαιστίωνος ἦν καὶ ἄλλοι συχνοὶ τῶν ὀνομαστῶν ἐν παιδείᾳ, conl. s. Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἡφαιστίωνος, γεγονὼς ἐπί τε Τραϊανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ τῶν αὐτοκρατόρων), Παῦλος Τύριος, quibus accedit gravissimum testimonium s. Ἡρωδιανός· γέγονε κατὰ τὸν Καίσαρα Ἀντωνῖνον τὸν καὶ Μάρκον, ὡς νεώτερον εἶναι καὶ Διονυσίου τοῦ τὴν μουσικὴν ἱστορίαν γράψαντος καὶ **Φίλωνος τοῦ Βυβλίου** (cf. p. 410; Wachsm. l. l. p. 145; Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 561 sq., quode vide infra).

Horum universa condicio nonne firmiter conroborat opinionem supra propositam vel imperiose flagitat luculentum Hadriani aequalem auctorem, qui oratorum sophistarum grammaticorum medicorum nec non historicorum philosophorum quotquot inde ab Augusto usque ad Hadriani tempora Romae potissimum floruere memoriam quam diligentissime tradiderit? Nec vero ille incertos nos reliquit, qua ratione opus suum adornaverit. Adparet nimirum hunc singulos auctores ad imperatorum Romanorum imperium direxisse, ac videre etiamnum licet Augusti Neronis Traiani Hadriani inprimis aetatem termini vel limitis instar fuisse. Nec minus in propatulo est certas epochas maiores distingui, tempora scilicet ab Augusto usque ad Neronis imperium, dein a Nerone usque ad Traianum, tum Hadriani aevum ipsum.

Quibus rebus delineatis si anquirimus, quis tale opus bonae frugis plenissimum conposuerit, non diu anceps erit iudicium, dum modo ex testimonio satis memorabili quod extat s. Ἡρωδιανός conligere aliquid velimus. Accedit quod s. Παῦλος Τύριος Paulus Philonis aequalis fuisse dicitur: nam videtur Philo legationis suae in libris suis mentionem fecisse, atque cum de Tyro metropoli narravit etiam clarissimum qui tum fuit civem Paulum conmemorasse (praeterea cf. Suid. s. Φίλων Βύβλιος, et Rohdium l. l. 561, n. 1). *Philonem igitur Byblium* praecipuum harum notationum auctorem esse iam

citra opinandi vicissitudines positum erit. Quanquam — ut hoc statim conmoneam — Hadriani temporibus non defuere qui eandem pertractarent materiam quique omnino res biographicas in summis haberent deliciis. Nec male coniecit Volkmannns (III, p. XVII, not. 31) Lucianum in dialogo qui βίων πρᾶcιc inscribitur talia potissimum studia cavillatum esse.

Itaque non abs re esse videtur, antequam ad Philonem ipsum disputatio accedat, pauca praefari. Inter illos auctores Hermippus Berytius praecipua laude nominandus est, quem librum περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων scripsisse Suidas (s. Ἴcτροc) ipse testatur, cuiusque auctoritatem Wachsmuthius (l. l. p. 140 sq.) subtiliter adumbravit.[25]) Huius vero Hermippi studia fructuosissima paulo latius patuisse nescio an conligi liceat ex verbis multifarie adhibitis quae reperiuntur in Etymol. M. p. 118, v. 22 s. v. Ἀπάμεια· πόλιc Βιθυνίαc, πρότερον Μυρλέα καλουμένη, ἣν λαβὼν δῶρα παρὰ Φιλίππου τοῦ Δημητρίου ὁ Ζιήλαc μετωνόμαcεν Ἀπάμειαν ἀπὸ τῆc ἑαυτοῦ γυναικὸc Ἀπάμαc, ὡc (add. V[b]) Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων λόγῳ. Quem quidem Hermippum non Callimacheum sed Berytium[26]) esse verissime monuit Wachsmuthius (l. l. p. 143, not. 16)[27]): quod si verum est resuscitavimus libri alicuius Berytii generalem inscriptionem περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων Callimachi πινάκων titulo simillimam, quam adtrectare interim non ausim. Iam duae res cogitari queunt: aut huiusce operis partem fuisse librum nobilissimum ʽπερὶ τῶν ἐν

[25]) Inter testimonia Wachsmuthii cura plene congesta nondum persanhta sunt verba illa quae extant s. Φλέγων Τραλλ. . . ἀπελεύθεροc τοῦ Cεβαcτοῦ Καίcαροc (Wachsm. p. 142, n. 13); conrigendum esse opinor ʽτοῦ Οὐεcπαcιανοῦ Κ.ʼ — [26]) Cf. Lozynskium Hermippi Smyrn. Peripat. Fragm. (Bonn. 1832) p. 24 sq., et Prellerum in Jahn. Annal. phil. XVII, 160 (in illius libelli nimis acri censura), qui veritatem non adsecuti sunt, Hermippi enim Callimachei libri amplissimi inscriptio utique βίοι fuit; non βίοι τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων (cf. Nietzschium Mus. Rh. n. XXIV, 190, n. 2) nec βίοι ἢ περὶ τῶν . . λαμψάντων (cf. Lozynsk.), ut prorsus taceam de Prellero (p. 167) titulum περὶ τῶν . . λαμψάντων certam ʽβίωνʼ partem effecisse opinante. Nauckius vero erravit cum (Philol. V (1850), 693 sq.) Callimacheum Berytiumque eundem fuisse contendit (vid. Nietzschium Mus. Rh. l. l. 192). Denique Muellerus, aliquid veri cum subodoratus esset (F. H. G. III, 35, 36), tamen veris falsa permiscuit: confudit nempe librum περὶ τῶν . . διαπρεψάντων δούλων disertim contestatum cum opere περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν (ἰατρῶν). — [27]) Cf. etiam A. Uppenkampium Princip. disp. de orig. conscrib. hist. litt. ap. Gr., Monast. 1847, p. 28. Neque tamen Wachsmuthio adsentior cum Hemsterhusio pro insolito λόγῳ vocem δούλων restituenti, qua verba volgari operis Hermippei inscriptioni adconmodentur; haud dubie enim λέγει emendandum est. — De Berytio autem hic unice posse cogitari vel illud μετωνόμαcε demonstrat, quo ad Philonem Byblium necessario deferimur: quem in opere περὶ πόλεων κ. τ. λ. metonomasias respexisse conpertum habemus (cf. B. Niesium de Steph. Byz. auct. p. 37), cuiusque vestigiis Hermippus discipulus hic institisse videtur, cf. Wachsm. l. l., praeterea Steph. Byz. s. Μύρλεια, Νικομήδεια, ʽΡάβεννα (πόλιc Ἰταλίαc. Ἕρμιπποc ὁ Βηρύτιοc ʽΡούενναν αὐτὴν καλεῖ).

παιδείᾳ διαπρεψάντων δούλων' aut peculiarem Hermippi scriptionem. Sed aliud accedit quod respici debet: in scholio nimirum Oribasii (in Mai Class. Auctor. IV (Rom. 1831) p. 11 = Daremberg III, 687) talia leguntur: ὁ Φίλων ἐν τῷ θ' περὶ βιβλιοθήκης κτήσεως καὶ Ἕρμηπος (i. e. Ἕρμιππος) ἐν τῷ ε' περὶ τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν ἰατρῶν καὶ ὁ Σωρανὸς ἐν ταῖς τῶν ἰατρῶν διαδοχαῖς (cf. etiam V. Roseum de Arist. libr. ord. et auct. p. 32). Praeterire praestat Bernhardyi (ad Suid. s. Φίλων) opinionem plane incredibilem meritoque a Wachsmuthio (l. l.) explosam, qui quidem in libro περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν ἰατρῶν magistri vestigia calcasse Hermippum suspicatur. Verum dubito num sana illa inscriptio sit: censeo enim vocem ἰατρῶν utpote emblema esse delendam, unde evadet titulus generalis περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, cuius particula περὶ ἰατρῶν quintum librum effecisse videtur. Quae cum ita sint, credere par est hoc ipsum opus idem fuisse quod Etymologici auctor laudavit. Ac quis ab Hermippo quem Suidas (cf. s. Ἕρμιππος) σφόδρα λόγιον fuisse multaque conposuisse testatur eiusmodi scriptionem profectam esse infitiabitur? Sed quoniam haec omnia coniecturae tantum probabilitate evicimus, inde longius evehi non ausim.

Praeterea autem alii eiusdem vel sequioris aetatis scriptores reperiuntur in eodem genere ac Philo versati, quorum opera Hesychium pariter ad usum adlexisse veri simile est, in quibus praeter Telephi Hadriani aequalis (cf. Capitol. Ver. c. 2, et in eum Salmasium p. 101) βιβλιακῆς ἐμπειρίας βιβλία γ' (ἐν οἷς διδάσκει τὰ κτήσεως ἄξια βιβλία — Suid. s. Τήλεφος —, quibus ex verbis operis argumentum reddentibus nescio an effici queat ipsum Hesychium illud novisse nec non consuluisse, cf. Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 182 not. 1) inscriptione Philoneorum περὶ κτήσεως καὶ ἐκλογῆς βιβλίων simillima — Damophilum conmemorasse satis habeo. De hoc nimirum, quem ab Iuliano Marci Antonini aetate consule (a. 175 p. Chr., vid. Bergkium Hist. Gr. litt. I, 276, n. 24) educatum fuisse Suidas testis est (s. Δαμόφιλος), idem narrat: γράψας πάμπολλα, ἐξ ὧν ταῦτά μοι εὕρηται ἐπὶ ταῖς τῶν βιβλίων θήκαις· φιλόβιβλος ἢ (? libri praebent πρῶτος) περὶ ἀξιοκτήτων βιβλίων πρὸς Λόλλιον Μάξιμον, quae verba Hesychio ipsi deberi Bergkio (l. l. p. 293, n. 50) credo. Adparet igitur Hesychium bibliothecarum forulos armariaque pervestigasse, ut Damophili libros nancisceretur. Sed quid causae erat cur talia nuntiaret Hesychius? Ni egregie fallor his liquido ille indicat se Damophili scripta dedita opera conquisivisse ac revera invenisse. Ergo dubitari nequit quin huius φιλόβιβλον in suum usum converterit Hesychius. Eius tamen auctoritatis vestigia ipsa eruere vix continget: quocirca eum nunc mittamus.

Hinc ad Philonem Byblium[28]) revertamur, cuius de studiis doctrina auctoritate iam paulo explicatius disputandum est.

[28]) In Philonis aetate indaganda nuper elaborarunt B. Niese (l. l. p. 27 sq.), J. Wackernagel (Mus. Rh. n. XXXI, 439), qui quidem illum

Scripsit autem ipso teste Suida duo opera ad Hesychii usum prorsus adconmodata: περὶ κτήσεως καὶ ἐκλογῆς βιβλίων libros duodecim, et περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκεν libros triginta. Quorum prius Hesychio cum maxime conmodum fuisse et habile statim elucet. Cuius memoria quanquam fere oblitterata est, ex scholio tamen Oribasii (vid. supra) cum Stephano Byzantio conparato potest concludi nonum 'bibliothecae' librum conprehendisse vitas ἰατρῶν (cf. Wachsmuthium l. l. p. 145, Bergkium Hist. Litt. Gr. I, 276, n. 24). Iam vero B. Niese (de Steph. Byz. auctt. I, 41) istud ideo parum valere contendit, quod l. c. praeter Philonem et Hermippus et Soranus laudarentur, quos inter et illum quae ratio intercederet nesciremus. Quam mira argumentatio! Oribasii verba adfatim docent nonum bibliothecae librum in medicis enarrandis versatum esse, nec quicquam refert scire quo nexu singuli contineantur.[29]) Prorsus autem displicet Niesii ipsius ratio medicos libro περὶ πόλεων κ. τ. λ. sic fortasse conprehensos fuisse censentis, ut suum de iis libellum scriptor in testimonium vocaret.[30]) Quid tandem inpedit quominus utraque scriptione Stephanum usum esse sumamus et libro περὶ τῶν πόλεων . . et περὶ ἰατρῶν, i. e. βιβλιοθήκης libro nono?[31])

Itaque si verum est quod supra cum Wachsmuthio posuimus, duodecim περὶ κτήσεως καὶ ἐκλογῆς βιβλίων libros ita digestos fuisse iudicabimus, ut in singulis de singulis litterarum generibus eorumque auctoribus praecipuis ageretur. Qua quidem in re etiamnum videmus (cf. Steph. Byz. s. Δυρράχιον, ubi Philonis de Philonide medico verba ipsa citantur: Φίλων ἐν τοῖς ἰατρικοῖς Δυρραχηνὸν ἀναγράφει Φιλωνίδην οὕτως· ''Ασκληπιάδης ἀκουστὰς ἔσχε Τίτον Αὐφίδιον Σικελὸν καὶ Φιλωνίδην Δ. καὶ Νίκωνα 'Ακραγαντῖνον'. καὶ πάλιν 'Φιλωνίδης δὲ ὁ Δυρραχηνὸς ἤκουσε μὲν 'Ασκληπιάδου· ἰατρεύσας δὲ ἐν τῇ πατρίδι ἐνδόξως· συνετάξατο βιβλία με'') singulorum auctorum patriam — cuius quidem notitiam Philoni ex opere περὶ πόλεων . . petitam esse credere licebit — praeceptores discipulos adcurate enotatos. Porro sponte patet singula scripta ea-

sequitur, sagacissime vero Rohdius (l. l. p. 176 sq.); tamen hanc quaestionem valde spinosam vix unquam ad liquidum perductum iri arbitror. — Ceterum addere placet verba quae apud Suid. s. Φίλων leguntur παρέτεινεν εἰς μακρόν (pro quibus Westermannus εἰς Μάρκον temptavit) sana esse, cf. s. Ἑρμογένης . . ἀλλ' οὐκ εἰς μακρὸν ταύτης ἀπήλαυσε. — [29]) Wachsmuthius (l. l. p. 143, n. 16) autem Hermippum Philonis praeceptoris vestigia legisse hic suspicatur. — [30]) Ceterum peculiare περὶ ἰατρῶν opus a Philone conscriptum esse minime exploratum neque ex Stephano Byz. s. Δυρράχιον et s. Κύρτος, ubi citatur ἐν τοῖς ἰατροῖς (sic Rehdig.) et ἐν τῷ περὶ ἰατρῶν, consectarium est, quamvis praefracte negari nequeat (cf. nunc etiam Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 562, n. 3). — [31]) Nec magis Niesio adstipulor quod Philonis Phoenicica a Stephano (s. Νίσιβις) laudata ab hoc ipso inspecta esse negavit. Num id ipsum opus spretum esse arbitrabimur, cum generale περὶ πόλεων diligentissime Stephanus adierit?